BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 N
30

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

A

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SANCTORVM COSMAE, ET DAMIANI THERMALIBVS AQVIS LIBER

In ſex diuiſus ſectiones, in quibus earum non ſolùm, ſed etiam nonnullarum aliarum aquarum vires, & facultates exponuntur, & rectus adminiſtrationis vſus indicatur.

AVTHORE
D. ANTONIO CRISPO
Philoſophiæ, Medicinæ, & Sacræ Theologiæ Doctore atque Presbytero Drepanenſi.

Opus pro Tyronibus commodum, & non inutile pro curandis morbis, & eorum cauſis atterendis, & comprimendis.

Cui ſunt aggregatæ de iiſdem aquis à Doctore Ioanne Criſpo Philoſophiæ, & Medicinæ Authoris Genitore compoſitiones.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Drepani, in ædibus Illuſtriſſimi Senatus, apud Ioſephum Barbera
M. DC. LXXXIV.
Imprim. Abbas Sieripepuli Dep. & Reu. Imprim. Galuano F.

Digitized by Google

13. 7. N. 50
A

Digitized by Google

DIVO
FRANCISCO
XAVERIO
SOCIETATIS IESV
INDIARVM APOSTOLO.

HAud equidem ignoro mirari nonneminem, Xauerio me de aquis Thermalibus apud Drepanũ erumpentibus,ob virtutem vulgò ſanctis, ob Templum Diuorum Damiani,Coſmęque nomine inſignitis inſcriptum opus offerre.

Digitized by Google

Egregio Viro tenue donum! Indiarum Apoſtoli maieſtas offerentis humilitatem, & munuſculi non deterret? Maris Athlã-tiçi, & Nauigantium Patrono haſce licèt ſalubres aquas malignas eſſe. At acribus in meum qualecumque munus verbis finem imponat nonnemo. Tibi iure optimo, Xaueri, has Thermales aquas, quarũ vim medicam omnium primus ſcribere aggredior dicatas volo. Aquę planè pręes. Ablatam Seruatoris Cruci affixi imaginẽ cùm tibi Cancer reddat; Pelagus ad tuum cogis obſeqium. Naues penè obrutæ ilicò emergunt; Tui oris, ac dexteræ imperio furentes vndarum agitationes comprimis. Ne penitus intereant Vectorum, Nautarumque plurimi Indica nauigatione, vt inter vndas Tantalus, affixi; ſalſos fluctus commutas in dulces. Sterilem maris ſinũ fœcundas, terramque aduſtam imbribus locupletas. Aquarum Domino aqua exiguà tributum eſt. Hoc tibi ſolutum in febrium ignes, flatuſque hypochondriacos,

capi-

capitum, pectoris, & vteri affectus, inte-
ſtinorum morbos, cæteraſque ægrotatio-
nes innumera patrabit prodigia, quæ lu-
ſtralis aquę vas anguſtum à temetipſo No-
bili cuidam in hoſpitij ſolutionem oblatū
ad nimis deductum tempus perpetrauit.
Aquæ præterea ſubminiſtrandę ter maxi-
mo Indiarum Apoſtolo, qui nouum lu-
ſtrans terrarum orbem ſacris vndis abluit.
Viro planè egregio ſacranda quidē aqua.
Fontes heroibus conſtat cordi maximè
fuiſſe; imo Deos Gentilitas conuerti in ip-
ſos fabulatur, dum genibus aduoluta Solis
fontem adorat, & Clitumnum; etenim
vterque illi eſt.

Fons ſacer, & multi Numen habere putant. *Ouid. in ep. 15.*

Aſſideas iam vero cuſtos ſecundus, Diui
Coſmę, & Damiani aquis, meiſque hac de
re lucubrationibus Xaueri. Saluberrima
erunt nobis ſub tanti Viri tutela in cuiuſ-
cumque generis morbum. Inde aqueus
fons dicatus ob redintegratám valetudinē
lampas tibi erit ignita: nec inſolens ante

tui

tui imaginem aquas ardere. Tuæ igitur in prę́ſentiarum noſtrum apud litus dulces aquę meliores, ac Solis fons in Ammonis nemore; tam adulta nocte, tam perferuido meridie etſi Thermales emanant frigidę, ſacrum quid tibi ardentes exæſtuant.

Digitized by Google

DISTINCTIONVM

INDEX.

In Prima ſectione.

*Diſtinct.*1. *De origine, & facultate. fol.*5.

2. *De viribus, & qualitatibus oppoſitis. fol.*10.

3. *Modus, & adminiſtrationis vſus. fol.* 12.

4. De *regulis ſeruandis, & corrigendis accidentibus. fol.*20.

In Sectione ſecunda.

*Diſtinct.*1. *An valeant in obſtructionibus. fol.*24.

2. N*um in malo corporis habitu, & hydrope.* 33.

3. *An conferant ictericis. fol.*39.

4. *An pro intemperatis viſceribus commodæ. fol.*44.

5. *An ad iecur, & renes perfrigerandas. fol.*45.

6. *An in nephriticis, & colicis doloribus.*48. & 52.

7. *An in colicis doloribus conueniant.* 58.

8. *An in vrinæ difficultatibus.* 59.

9. *An in diabete conueniant.* 61.

10. *An in ſanguinis mictu.* 63.

11. *An in gonorrhæa etiam gallica.* 65.

12. An *in ardoribus vrinæ.* 69.

In Sectione tertia.

*Diſtin.*1. *An conueniant in alui fluxibus, & diarrhæa.* 86. & 91.

2. *An*

Digitized by Google

2. *An Teneſmoni, & dyſenteriæ cõpetant.* 105.

In Sectione quarta.

Diſt. 1. *An in capitis affectionibus, & pectoris.* 108. & 113.

2. *An in capitis deſtillationibus, & alijs.* 117.

3. & 4. *An in morbis thoracis, & ſanguinis ſputo.* 122. & 126.

5. *An in aſthmate conueniant.* 127.

6. *An in palpitatione cordis.* 132.

7. *An ad cordis palpitationem, & orthopnæã.* 139.

In Sectione 5.

1. *An earũ vſus ſit in affectib⁹ vteri proficuus.* 147.

2. Differẽtia *inter menſtruorum, & hæmorroidum fluxum.* 157.

3. *An in vteri ſuffocatione conueniant.* 162.

4. *De ſimilibus in ano morbis.* 173.

In ſectione ſexta.

Diſt. 1. *An conueniant in articulorũ doloribus.* 178.

2. *An in ſcabie conueniant.* 182.

3. *An ad cutaneas affectiones.* 191.

4. *An conueniant in gutta roſacea.* 194.

5. *An in febribus conueniens ſit.* 202.

6. *An in quartanis ſint exhibendæ.* 112.

7. Difficultatis *ſolutio.* 218.

8. *Soluuntur Luſitani rationes.* 221.

9. *Soluuntur aliorum rationes.* 232.

10. *Quo die quartanarijs propinari debeat.* 235.

DE SANCTORVM COSMAE ET DAMIANI THERMALIVM AQVARVM Facultatibus, & Vſu.

SCRIBENDI OCCASIO.

POtabilium Aquarum, quæ è fontibus ſcaturiunt, conditiones optimę ſunt, vt ad orientem Solem percurrãt; ſic enim leuiſſimæ habentur, puræ, impermiſtæ, & è ſublimibus deſcendentes. Similiter & Aquæ Thermales, quæ pro curandis morbis accipiuntur, differentias habent à locis, à quibus proſiliunt; & aliæ dicuntur ferreæ, æreæ, argenteæ, aureæ, &c. & ferri quid, vel æris, aut ſulphuris ſecum afferunt, & earum aliæ ſunt permiſtæ, & aliæ puriores, &

aliæ tandem quamdam retinent ex modo miſtionis proprietatem ad diuerſas curandas ægritudines experimento comprobatam. Fuerunt ob flatus hypochondriacos in cõſultatione præcedenti thermales aquæ inſtitutæ, & potæ, profuerunt, vt dictum eſt. Hinc occaſionem ſcribendi ſumpſimus, nè indifferentèr,& intempeſtiuè bibitæ noceant,& detrimentum afferant; & vt expeditiùs res agatur, libellum hunc de Thermalibus Aquis ſub titulo Sanctorum Coſmæ,& Damiani conſcripſimus, in ſex ſectiones diſtinctum, in quarum prima nõnulla poſuimus, quæ faciunt ad communem earũ notitiam,vt ex ijs ad aquarum,de quibus agimus cognitionem deuenire valeamus, nec non & ad alia, quę pertinent ad earum vſum.

In ſecunda de prædictarum aquarum facultatibus in curandis hypochondriorũ morbis agimus. In ſectione tertia de inteſtinorum affectibus, quibus conueniens eſt aquarum vſus. In ſectione 4. de thermalium aquarum vſu in capitis,& pectoris affectionibus. In ſectione 5. de earum vſu in vteri affectionibus, & ani. In 6. ſectione. An in alijs morbis conueniant aquę,nec non, & an in febribus.

SECTIO PRIMA.

De Thermalium Aquarum vſu, ſub titulo Sanctorum Coſmę, & Damiani.

DRepanum Siciliæ, Vrbs Inuictiſſima à Beatiſſima ſemper Virgine Genitrice DEI MARIA peculiari quodam ob ſuam benignitatē patrocinio protecta; electa, vt ibi Sacratiſſimum, quid diuinum expirans ſui Simulachrum cœleſti gratia aſportatum, obſeruaretur, & coleretur, & ab exteris etiam nationibus beneficia implorantibus, & recipientibus magna frequentia concurrentibus collaudaretur: In vltimis Siciliæ finibus occidētalibus in Cherſoneſo ad curuum lictus, inſtar falcis, eſt ſitum, & mari præter Orientalem partem vndique circumdatum. Mare verò omnium ferè piſcium genere non ſolùm eſt fertile, & fœcundum, ſed etiam, & coraliorum piſcatu eſt optimum. Neque minoris conditionis eſt eius ager, qui Cereris, & Bacchi donis affluit, & maxima copia locuplex eſt, & aliorum munerum vbertate ſplendeſcit. Et quod magis pro pręſeruatione, & morborum curatione, & eorum cauſis obtundendis thermalibus aquis ſub titulo Sanctorum Coſmæ, & Damiani inſignitur, & exaltatur, quarum Drepani ſitus.

aquarum priſcis illis temporibus nulla erat apud Drepanenſes comminiſcentia; latitabant, & incognitæ erant; ſed parta, & acquiſita D.O.M. benignitate illa Victoria nauali contra Solimanũ Turcarum Dominum, & eius fuſtibus, & triremibus à Chriſtianis Principibus conſpirantibus cunctis, debellatis, fugatis; ſuperſtites, qui tunc temporis apud Turcas captiui remigabant, libertati fuere donati. Erat inter alios Drepanenſis quidam, qui in patriam rediјt, & de prædictis aquis diſſerebat. Petentibus verò, vnde earum notitiam habuerit: Reſpondebat à Græcis, qui olim Siciliam incolebant, & Ciues erant Drepanenſes. Locus, & ſigna calamo erant deſignata, & de earum vſu, & adminiſtratione non pauca deſcripta. Locus inuenitur, & fons è quo ſcaturiunt aquæ detegitur, & propalatur. Alij verò ſic earum inuentionem fuiſſe dicunt, quod Religioſus quidam ſub Diuo ad Templum Sanctorum Coſmæ, & Damiani accedens, iuuenem inuenit è ſeruitute Turcarum liberũ ob ſupradictam victoriam, & propè littus maris ambulantem, vt exequeretur, ille dicebat, quę Iudęus quidam in Oriente referebat de thermali quadam aqua propè Eccleſiam Sanctorum prædictorum. Dicebat Iudęus, extra Drepani Vrbem quemdam eſſe theſaurum vitæ præſentaneum; vt ex eius Auis

Aquarum notitia vnde.

& Proauis relatũ acceperat, qui Medici, & Aſtrologi Drepanenſes erant, & medicinam tunc temporis factitantes, dictis aquis pro diuerſis morbis curãdis cum maxima ægrorum commoditate vſos fuiſſe, qui ſalute acquiſita, eam vt Sanctam à Sanctis Coſmæ, & Damiani datam extollebant. Scaturientes etiam dicebat eſſe è fonte, qui paulò ſupra Eccleſiam dictorum Sanctorum verſus Orientem Solem propè oram maris reperitur, & aduerſus Inſulam, quæ nunc dicitur vulgari nomine *La Secca*, è directo oppoſita Turri, quæ dicitur de *Martognia*, olim *Turri vecchia*.

DISTINCTIO PRIMA.

De prædictarum aquarum origine, & facultate.

FAma eſt, quod à meridionali Montis Ericini parte, quæ vulgaritèr dicitur *L'argentaria*, proueniat, & ab argentea fodina; fortaſſe quod antiquitùs quando ob diuiſionem Imperij Romani factam Græcis Inſula ceſſerit, aut à Saracinis occupata fuerit effoſſa fodina, cuius effoſſionis vſque adhuc veſtigia appareãt, & ſigna, lutũ enim viſitur albũ argenteo colore ſuffulgẽs, ſignum non ſolùm

Vnde proueniat, vt argentea fodina.

effoſ-

effoſſam fuiſſe fodinam, ſed etiam coopertam, & derelictam. Sed qua de cauſa incompertum eſt; ſed cum talis minera ſit in parte Mōtis ſupradicti Meridionali, & fons è quo ſcaturiunt aquæ ſit in parte Septentrionali, & diſtantia ſit per tria, aut quatuor paſſuum milliaria; qua de cauſa dicere poſſemus, quod è fonte ſcaturiētes aquæ originē nō habeant ab argentea fodina. Re vera nobis occultum eſt; poſſibile tamen fuit, quod à foſſoribus facto periculo fuerit obſeruatum, quod aqua è minera proſiliens per ſubterraneos ductus ſit eadem, & quid de effoſſa minera ſecum duxerit, & in fonte, è quo ſcaturiunt aquæ, apparuerit. Dum enim minera fodiebatur quid tenuè & argenteum ab aquis ibi proſilientibus potuerit ſimul afferri, ac etiam facto periculo fuerit obſeruatum, quod ea, quæ à minera, & ea, quæ fuerit è fonte non ſolùm ſubſtantia, ſed viribus, & facultatibus ſit eadem, & ad eoſdem morbos curandos opportuna. Sed dicet aliquis Thermales aquæ calidæ ſolent erumpere, prædicta verò cur frigida? An quia per ſaxoſa loca, & per ſubterraneos percurrant anfractus, & longum ſit itineris ſpatium à fodina ad fontem è quo proſiliunt; & attritæ calorem amittunt, atque deperdunt? & maximè cū neceſſarium non ſit, vt thermales aquæ calidæ ſē-

Aqua cur frigida.

per

per erumpant: Nam quæ Aquarianæ dicuntur, per loca frigida percurrentes calorem amittunt, & frigidæ ſunt. Similitèr Emilianæ propè vicum de Sancta Sophia frigidæ ſunt, limpidæ, & claræ, ſicut etiam de Arquato, vt dicunt, & ita noſtræ prædictæ. Pro potu ordinario commodæ nō ſunt. vt medicamentoſæ tamen locum habent; pro ſanis corporibus inutiles; pro ægris eſſe poſſunt opportunæ, ſi fuerint indicatæ; ſed aquæ, de quibus loquimur non crudæ ſunt; concoctionem acquirunt ex motu, & longo itineris ſpatio elaboratæ, & maximè æſtiuo tempore, quia ſunt ad orientem ſolem expoſitæ. Thermalium inſuper aquarū plures ſunt differentiæ à locis, per quos tranſeunt, atque percurrunt, & à metallorum fodinis, è quibus oriuntur, nec non & à metallis ipſis, quibus per corroſionem commiſcentur, & deferuntur, & ita nonnullæ ferreæ, æreæ, plumbeæ, bituminoſæ, ſulphureæ, ſic & nonnullæ ſaporem nitroſum habent, & aliæ ſulphureum odorem. Aquæ verò de quibus loquimur argenteæ ſunt, ſulphureæ, nitroſæ, & ſubſalſæ; non tamen argentum, ſulphur, aut nitrum ſecum ducunt, imò neque nitri ſaporem, neque ſulphuris odorem. Verum argenteæ non ſunt ex argento, quod non habent, nec deferunt. Argentum enim non corroditur ſicut fer-

Cur non crudæ.

Thermaliū aquarum differētiæ.

rum,

Cur argẽteæ. rum; V.G. generatur enim ex duriori materia, quę cum aquis non miſcetur ſicuti & aureæ. Dicuntur autem aureę, vel argenteæ ex eo, quod ex auro, vel argento minimè liquato, ſed à materia cum vaporibus auri, vel argenti permixta producantur aquæ prędictæ, & ita ex vaporibus illis, ſeu fumis, ſiue exhalationibus eleuatis ſimul cũ calefacta præexiſtente materia aureæ, vel argenteæ thermales aquæ componuntur, & argenteæ dicuntur, aut aureæ. Aliæ verò, vt ferreæ, &c. per corroſionem, vel permixtionem dicuntur tales. Aquæ prædictæ Cur ſulphuris odorem non habent. ſulphureæ ſunt, ſulphuris tamen odorem non retinent. An quia per loca ſaxoſa percurrentes, vt dictum eſt, ſulphuris odorem, & ſaporem amittant? Euaneſcit enim ſulphureus ille ſapor, & odor per motum, & per attritionem diſſoluitur. Sulphureæ tamen ſunt, quia è minera argentea oriuntur, & ſulphur, vt ex Chymicis habetur, ſe habet vt ſemen in mineris; Mercurius verò vt menſtruum; & hac de cauſa fumi, ſeu vapores à materia metalli non dum concreta eleuati ſuas facultates, & vires imprimunt aquis abſque vlla ſulphuris odorata ſubſtantia; & ita dicendum erit de nitro, nitroſas ſcilicet eſſe abſque nitri ſapore. Si igitur nullus erit odor, aut ſapor, ſignum erit, quod vapores illi tenues per motum diſſoluti fue-

rint,

rint, & ſi ſapor erit, aut odor remanſerit, ſignum erit, quod craſſior vaporum ſubſtantia diſſolui per motum non potuerit, & quod perſtiterit adhuc. Aquæ verò prędictę cum odorē ſulphuris nō habeant, neque nitri ſaporem earum facultates, & vires à vaporibus, & fumis eleuatis, diſſolutis tamen obtinent, antequam materia metalli concreta fuerit, dummodò proxima , vt ex ea metallum generetur.

Neque extra rationem erit, quod dicunt aliqui thermales aquas eſſe poſſe, & ſi de minerali materia nihil ſecum afferant, & ſatis eſſe ſi per mineram pertranſeant, quod etiam de his aquis dicere poſſemus. Subſalſæ ſunt aquæ, aut ex mixtione vaporum, & exhalationum è minera prodeuntium, aut è terra per quam percurrunt, aut à ſalinis, aut à maris propinquitate, & ex his nitri etiam vires ſuſcipiant, & facultates, & hac de cauſa ſtomachum, & aluum expurgent à craſſis humoribus, adſtringant, roborent, aperiant, detergāt, calefacta refrigerent, frigefacta calefaciant, &c. eoquod retinent ex primis, & ſecundis commixtis qualitatibus vires, nec non à ſubſtantię modo, qui ex permixtione reſultat, quæ adinuenire, & à priori dignoſcere difficillimum eſt, cum rerum proprietates nobis occultæ ſint, & experimento tan- Subſalſæ cur?

B tùm

tùm approbatæ, vt de multis alijs, de quibus nil aptiori dicere poſſumus, vt de magnete ferrum, & ſuccino paleas attrahente.

DISTINCTIO SECVNDA.

De earum aquarum viribus, & facultatibus oppoſitis.

Cur vni medicamento vires ſint oppoſitæ.

GAlenus de ſimplicium medic. cap. 14. lib. 1. ſic habet. Omnia medicamenta, licet ſenſu ſimplicia appareant, natura tamen compoſita ſunt, quin, & ſubindè quoque aduerſiſſimas in ſe continent facultates, nempè excernendi, & ſiſtendi, incraſſandi, & extenuandi, rarefaciendi, & condenſandi, illinendi, atque abſtergendi, contrahendi, & laxandi, cæteraſque oppoſitiones vniuerſas. At hoc mirùm videri minimè debet in id genus facultatibus, cum vni, & eidem medicamento vim calefaciendi, & refrigerandi in eſſe appaaret, aut exiccandi, & humectandi, aut tenuium partium, aut craſſarum; quippè niſi primæ efficaciſſimas omnes complecterentur, hoc pacto complecterentur, haud ſanè quæ ex illis ſequentur, ſimiliter complicatæ fuerint; & exemplificat de Rhu; quod ſi nos inquit rhu ſuccum melle commi-

miſceamus, quod ex ambobus mixtis confectum eſt, non modo adſtringendi, ſed etiam & abſtergendi poſſidere facultatem concedemus, nec cohibendi ſolùm ventrem, ſed & euacuandi.

Ex quibus colligimus, quod aquæ prædictæ, vt ſubſalſæ facultatem habent adſtringendi, vt ſulphureæ tamen, & nitroſæ diuerſas, & oppoſitas vires habent, vt permixtæ, & ex miſtione, quę reſultat ex ſubſtantiæ modo, diuerſos producunt effectus, vt compoſitæ ſcilicet ex ſulphuris, nitri, & ſalis fumis, atque vaporibus, & illis fumis, & vaporibus eleuatis à minera, quæ omnia ita ſunt permixta, vt ſeparari nequeant, & hinc adſtringunt, & ſoluunt aluum, abſtergunt, abluunt, incidunt, roborant, flatus diſſoluunt, &c.

Verùm, vt faciliùs earum vires habeantur, aliquo peculiari indigent auxilio, & ita ad faciliorem alui ſolutionem, & commodiorem exhibentur ſerapia, vel quid aliud ad aluum mouendam. Et ſi vt ſubſalſæ quamdam habeant adſtrictionem, in magna tamen quantitate potatæ præ copia ſoluunt, & in pauca quantitate adſtringunt, vt infra proprijs in locis dicendum eſt; & ita ſi fuerit indicatio per ebibitas aquas aluum ſoluendi, præcedat Syr. roſ. ſol. vel quid ſimile, & poſt horas duas vtatur aquis. Si verò adſtringendi fuerit indicatio

præcedente Syr. adſtringente bibat aquas in minori copia infirmns.

In curandis alui fluxibus, ſi procedendum erit ordinaria curatione, à cauſa ſcilicet ad effectum, fluxus fluxu curari debet, at ſi cauſa fuerit in primis vijs, cum viſcerum intemperie tunc potandæ ſunt in copia, & magna quantitate, vt dicetur infra, euacuabunt enim humores craſſos, viſcoſos, & bilioſos, qui fuerint in inteſtinis, & ventriculo. Si verò cauſa erit in toto corpore præcedere debet medicamentum, quod ſoluat, & in fine adſtringat cum Rheubarbaro, parùm enim torrefacto, vel non cum decoctione mirabulanorum, vt moris eſt apud practicantes,& tandem ſi opus fuerit, vt aperiant, moueant vrinam, ſiue lapillos, & arenulas expellant, vt in nephriticis, vt ex primis vijs expurgentur humores valdè vtiles erunt aquæ prædictæ, de quibus infra.

DISTINCTIO TERTIA.

Modus, & adminiſtrationis vſus.

CVM commodæ ſint, & valeant aquæ, ad diuerſos affectus, neceſſarium duximus, vt modus explicetur in earum vſu. Et primo

in-

inquirendum eſt, an exhiberi poſſint ſine vlla facta præparatione, & nulla leui ſaltem expurgatione precedente: Diſtinguendum igitur erit de affectibus. An ſcilicet in diſſenteria, aut diarthæa ſint exhibendæ, vel teneſmone? & tunc dicendũ erit nullam neceſſariam humorum eſſe preparationẽ, etiã ſi fuerint humores in primis vijs. E contra vero ſi humores craſſi, viſcidi poſt emulgentes venas fuerint, & ita paritèr ſi neceſſaria fuerit ſanguinis miſſio, & nulla contradictione indicata, ſanguinis miſſio precedat, vt ſi exempli gratia pro vertigine, pro malo corporis habitu, pro dolore, nephritico, ſiue colico eſſent exhibendæ, tunc cõſiderandus erit corporis habitus, ſtatus ægritudinis, cauſa, &c. & non ſtatim deueniendũ erit ad aquarum adminiſtrationem, niſi preparato corpore, & leui ſaltem humorum expurgatione facta, maximè ſi potentur vt peculiare partium medicamentum: ſic Argenterius 3. artis med. Sponte naſcentes aquas longo vſu ſe didiciſſe, inquit, pituitoſos humores ventriculo inteſtiniſque abſtergendo expurgare, vt vtrique malo quo laborare ſolent nephtitici, & colici occurratur, adhibitis chryſteribus, & leui facta expurgatione. Quod ſi in diarthea, aut dyſenteria, aut teneſmone ijs vtantur, neque ſerapijs preparantibus, neque purgantibus Aquarum vſus in dyſenteria

opus

opus eſt. Solemus tamen cum dolor vrgeat in dyſenteria, immediatè ante aquam ebibitam propinare ſyrupum de papauere ad vncias duas, aut de portulaca, aut de pluribns infuſionibus roſ. rubearum, aut de oxalide conſiderata humoris vi dyſenteriam facientis, ac deindè ſtatim aquam præbere, non in ea quantitate, ſicuti quando aluus eſt adſtricta, ſed minori copia, vt infra, (Verum totum hoc intelligendum erit, ſi neceſſaria curatio fuerit extraordinaria) & hac de cauſa 4. aph. 24. pro dyſenteria aquam Montis Caſini ſine mora bibendã, fortaſſis eſſe iubet, quia neceſſarium erit, vt primo non occurratur cauſę.

Verum ſi febris dyſenteriam moleſtat, ſimiliter, & in magnis æſtibus inſtituit aliam aquam minoris ſalſedinis, ſicuti eſt illa aqua, quæ dicitur *Del Bagnolo*: ſi verò febris abſit, & maiori ſit opus abſterſione, præbet aquam Tectutij, quæ eſt magis ſalſa. Hæc ex Argenterio.

Sed de his noſtris loquentes aquis, ingenuè poſſumus affirmare, quod in alui fluxibus propinari poſſunt haud in magna quantitate, & vt adſtringant, & ſimul ad materiam educendam, quia non ſolùm parati ſunt humores, ſed etiam deorſum tendunt ad inteſtina, & idcircò pauca doſis ſufficiens erit, vt adſtringendi, & corroborandi

ſub-

ſubſequatur effectus, & tunc non ſolùm remouetur cauſa, ſed partes etiam corroborantur. An verò nulla facta pręparatione in prima Medici viſitatione poſſint exhiberi? Petere quis poſſet, cui dicimus poſſe ſi per duas, aut tres horas ſolutiuum aliquod, vt mel.roſ.ſol. aut ſyr. roſ. ſol. aut manna, vel quid aliud ſimile propinetur, vt reſeratis vijs ſine moleſtia aquæ deſcendant in inferiora, & corpus expurgetur. Vrget etiam aliquando nephriticus, V.G. dolor, aut lapillorum, & arenularum expulſio, & cogitur Medicus, vt ad earum feſtinet ebibitiones pręcedentibus tamen enematibus.

Quantitas verò aquarum non ſit in omnibus morbis ęqualis, nec in ætate; nec in complexione, nec in omni corporis ſtatu, ſi enim aluus erit adſtricta maiori indigemus aquarum menſura, & copia, & ad duodecim ferè libras, ita vt aliquando prima die librę nouem hauriantur, ſecunda die, & tertia duodecim. Quod ſi quarta die propinandæ erunt, ad treſdecim etiam libras deuenire poſſumus, & hęc eſt maxima doſis. Si verò turbata fuerit aluus, aut mollis ad ſex, vel ſeptem libras hauriantur. Quando verò indicatio erit aluum adſtringendi, minori doſi vtendum erit, vt ſupra notatū eſt, & ſi neceſſarium erit cum aliquo pręcedente ſyr. adſtringendæ. Aquarum quantitas haurienda.

Hau-

Cur in magna copia. Hauriuntur in prædictis caſibus in magna copia, vt aluum ſoluant, vt velociùs corpus expurgetur, quia ſi fuerint in parua quantitate ebibitę, non ſoluent aluum, mouebunt, & moti humores deteriores ſunt ipſis quieſcentibus; conuertuntur inſuper in fumos, & vapores, flatus excitant, caput replent, & onerant, & alias inducere poſſunt affectiones. Hæ etenim aquæ & per ſe, & per accidens expurgant; per accidens, quia ſolutiuo etiam medicamento indigent; per ſe verò ratione quantitatis, & copiæ ſubſalſæ, & nitroſæ qualitatis. Et pro faciliori aquarum ad inferiora deſcenſu leuis conceditur deambulatio; quieſcere tamen poterit infirmus, ſi fuerint propter alui fluxum ebibitæ, quia in minori copia ſumuntur, & non intenditur alui ſolutio: quæ omnia curantis Medici prudentiæ relinquuntur. Tempus opportunum eſt, vt è fonte accipiantur aquæ in Iunij menſe circa Solſtitium vſque ad menſem Septembris, niſi tunc temporis copioſi fuerint imbres, quia eo tempore propter aquarum pluuialium copiam vires, & facultates etiam ob permiſtionem earum amittunt, atque deperdunt; è terra enim ita madida quid aquarum pluuialium in locis, per quos aquæ decurrunt, immiſcetur, & aquæ non erunt purę thermales. Alijs verò temporibus anni non

Aquæ cur per ſe, & per accidēs purgant.

An deambulādum.

Tempus

ſunt

ſunt ita concoctæ, & fons è quo ſcaturiunt, non eſt ad orientem Solem expoſitus, vt æſtiuo tempore; Sol enim eo tunc eſt ad auſtrales partes exoriens; & adde, quod flantibus ſeptentrionalibus ventis propter maris propinquitatem minimè ſumantur; ſunt enim ſalitæ.

Communis eſt earum vſus, & adminiſtratio, vt calidæ potentur, eo modo quo iuſcula ſumuntur, vel vt lac de recenti mulctum; ſic enim ad interiora faciliùs deſcendunt, penetrant, incidunt, & detergunt. Verùm aliquibus vomitiones excitant ita calidæ, caput enim replent, moleſtias afferunt, & perturbant; tunc ſi tempus nimis calidum erit, corpus nimis excalfactum, frigidis potionibus aſſuetum, viſcera benè affecta, frigidę poſſunt aſſumi, non tamen niue refrigeratæ. Neque per vomitum eo quod ab ægris amouentur, erit ab eorum potionibus ſemper abſtinendum, vt in nephritico dolore, quia per vomitum, cauſa, quæ in ſtomacho reperitur, & dolorem fouet, eijcitur, & naturæ motus adiuuatur, quæ pet vomitum ſe ſe exonerat; ita pariter aquæ Villenſes ſumuntur, Ficoncellæ, & Anticoli in Campania, vt ſcripſit Hollerius lib. 1. cap. 48. An calidæ.

Neque obſtabit aquarum etiam tunc ad vreteres penetratio, quia qui in ventriculo, & pri- Dubium. Solutio.

mis vijs fuerant humores crudi, & viſcidi, iam euacuari ſupponuntur à medicamento ſolutiuo præaſſumpto, & à nimia aquarum copia; aquarum verò minor pars eſt, quæ penetrat ad vretheres, quæ ob nitroſam qualitatem, & temperiem abſtergit, incidit, irritat, partes rarefacit, & ſecum lapillos affert, & arenulas, & ſi quid viſcoſum ibi extiterit, etiam ad veſicam conducet, & per vrinam eijcies, & tanto magis quod per duas, & tres dies erit aquarum vſus, & adminiſtratio; vnde non ſolum ventriculus, & inteſtina, ſed etiam vretheres mundificabuntur, ob prędictarum notatas aquarũ facultates ab eadẽ radice prodeuntes.

Aquarũ facultates, & differentiæ.

Thermales hæ aquæ ſunt in duplici differentia, etiam ſi ab vnica radice prodeant, prima eſt, de qua hucuſque locuti ſumus, quæ ab Erice Monte emergit, & è Meridionali parte ad Septentrionalem partem percurrit, vt dictum eſt verſus mare, propè Eccleſiam Sanctorum Coſinæ, & Damiani ſcaturiens è fonte, qui ad Meridiem recta linea Turrim reſpicit de Martogna. Secunda verò quæ ex eadem argentea minera exilit, & per terræ ſubterraneos ductus Vrbem ingreditur, & in puteo Venerabilis Monaſterij Sanctæ Eliſabethę proſilit; hæc non eſt ita ſubſalſa, etiam ſi per loca ſubſalginoſa percurrat; fortaſsè quia ab Erice

Aqua S.Eliſabethæ cur non ita ſubſalſa.

Mon-

Monte deſcendentes aquæ in illa planitie dulces ſint, exemplo aquarum vulgariter dictarum delli Mergini, & aliarum, vnde non ita ſubſalſum ſaporem habent, facultates tamen non amittit ob exquiſitam temperiem ex modo ſubſtantiæ. Vtcumque tamen ſit earum vſus experimento comprobatus eſt ad diuerſos affectus conterendos, & maximè calidiores.

Quodſi aliqualis differẽtia notatur in his aquis etiam ab vna radice prouenientibus, multò magis in alijs, quæ diuerſis in locis apparent, & per diuerſa alia loca percurrunt. Hinc ad diuerſos morbos curandos diuerſas facultates, & vires accipiũt aquæ prædictę, & ſi nullum habent odorem, neque ſaporem, niſi ſubſalſum ob exactam temperiem, vt dictum eſt, & permiſtionem pro multis affectibus commodæ ſunt, atque proficuæ. Mediam habent temperiem, vt Aquæ virginis Montis Otthoni, Vellentes, Aquaritanæ, & hac de cauſa incidunt, refrigerant, hepar, renes, & refrigerata viſcera calefaciunt, attenuant, euacuant, par aluum, & per vrinam, obſtructiones aperiũt, abſtergunt, ventriculum inteſtina, & meſenterium à craſſa, & viſcida colluuie emundant, vt Tectuccianæ etiam pro ſalſa deſtillatione à capite in pulmones ob intemperiem tamen calidam, & Facultates

C 2 ſiccam

ſiccam in corpore gracili admodum; & ad tabem parato; vt Villenſes aquæ pro capitis grauitatem, ventriculi imbecillitate, flatibus, articulorum doloribus, vt aquæ Aquarianæ, & Porretanæ pro fluxu muliebri, & menſuris albis; vt Calderianę, & Lucenſes Montis Catini, Ficoncellæ Villenſes pro lumborum imbecillitate ventigine, vt Aquarianæ, & Tectucianæ, vt videbitur infra, cum de morbis, quibus competunr agemus, opportunas eſſe vidimus.

DISTINCTIO QVARTA.

De Regulis ſeruandis, nec non & de quibuſdam accidentibus corrigendis.

Annus biſextilis an nocuus.

BIſextilem annum nonnulli putant eſſe pro thermalium aquarum vſu incommodum, atque nociuum; nocere quidem poſſunt, vt per aliarum aquarum miſtionem, ex alijs locis ſcaturientium, & ob alias cauſas particulares, at non per annum biſextilem; eo quod in tali anno ijdem non ſemper ſunt influxus, & cœli conſtellationes, & maximè cum anni biſextiles fuerint ex voluntate hominum inſtituti. Prædictas aquas exhibuimus in annis biſextilibus abſque vllo ægrorum

in-

incommodo, & nocumento, ſed ſemper ęquales & viribus, & facultatibus conſimiles; dummodò fuerint indicatæ, & tempeſtiuè epotæ, & non ſit aliquid, quod vehementer in tali ſubiecto contra indicet, vt E.G. ſi vaſorum anguſtias haberet ęger, quia difficillimè penetrabunt aquę, & cum labore, & faſtidio deſcendent ad inteſtina, vel ad vretheres meatus; vndè nos ad has aſſlictiones, & moleſtias auferendas medicamentum ſolutiuum inſtituimus ante duas horas ſumendum. Habenda erit etiam ratio temporis, ne ſit hyemale, ne noceant muſculis, & neruis, nec non & cruribus, ne reddantur imbecilla ob aliarum aquarum permiſtionem, ne ventriculus infirmetur, qua de cauſa tempus eligendum eſt æſtiuum, vt dictum eſt. Tempus ne ſit hyemale

Antiquitùs ſe conferebant infirmi ad fontem è quo ſcaturiunt aquæ, & ibi hauriebant, & potabãt aquas; qua de cauſa fortaſsè Sanctorum Coſmæ, & Damiani Templum cum ſuis cõmoditatibus, & officinis conſtructum fuit, & ędificatum; at modo proprijs in ædibus infirmorum ſumuntur, in Vrbem afferuntur, ſeruantur, habentur, & quod magis in alias partes aſportantur; neque ſi aſportatæ fuerint, neque ſi diù conſeruatæ fuerint, vires, & facultates amittunt, & deperdunt; æqualitèr enim

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

enim permanent ob exquiſitam miſtionem, quam habent, vt Villenſes, & Aquarianæ aquæ.

Non hauriat qui bibiturus eſt aquas ſubito, & affatim, ſed per plures hauſtus, & potiones, & ſit aliquod temporis ſpatium inter vnam, & aliam potionem, & interim vt faciliùs deſcendant leui deambulatione deambulet, tempus verò, quo ſumantur, ſit vnica hora, etiam cum dimidia; ſubito enim, & affatim ebibitæ ventriculum poſſent opprimere, & difficiliùs penetrare. Sumptis, & ebibitis ad debitam menſuram aquis poſt quatuor hora erat prandij. Neque triſtetur æger, ſi prima die omnes non euacuauerit aquas; ſubſequenti enim nocte per vrinas ſaltem eijcientur, vel ſecunda, & tertia; præcedente tamen ſemper medicamento per aluum ſoluente, vt dictum eſt.

Potandi modus.

Dices verò non ſint alterni, vel interpolati; ſed continui, & ſucceſſiui, ne per quietem diſtrahatur natura, & ab opere, quo inceperat, deſiſtat, & moti etiam humores per quietem ſecunda die cum difficultate expellebuntur. Solent nonnulli inter vnam, & aliam potionem aniſum etiam ſaccaro confectum accipere, vt meliùs ſit ſapor aquarum, & guſtus, & rectè, & tantò magis, quod ſaccarum abſtergit.

Si vomitus

Solent aquæ prima vice præſertim vomitiones

cie-

ciere; ſed per vomitiones ab aquarum potionibus non deſiſtat æger; per eas enim à viſcoſis, & ſalſis, crudis, & alijs ſuperfluitatibus ſtomachus expurgabitur, & emundabitur; quod ſi cum moleſtia, & faſtidio ſecunda,& tertia die ſuperuenerint, cogitandum, cum ſit ventriculus à ſuperfluitatibus illis emundatus, an à ſuperioribus partibus, & vel à toto corpore accidant, & quæ, & qualis ſit cauſa; nec non an ſit aliquod obſtaculum, ſiue impedimentum particulare, quod aquarum deſcenſum inhibeat,& hoc erit prius admonendum; ſed quomodo, & qualitèr prudentiæ curantis Medici, ne ad alia noſtra vertatur oratio, omittendum eſt. Quod ſi tranſactis diebus tribus non nihil aquarũ in corpore permanſerit, atque perſtiterit; ad illas aquarum reliqulas euacuandas poterit eſſe medicamentorum ſolutiuorum vſus.

Neque ex earum potionibus, & factis euacuationibus ſtatim, vt aliquid deſiderant, aliquando ſanitas perfectè perſentitur, vt ſi erit partium intemperies inueterata; hæc enim non citò fuit, neque citò curabitur, corrigetur tamen intemperies, ſed neceſſarium erit temporis ſpatium. Poſt aquas ebibiras ſolet aliquibus ſuperuenire ſitis, ſed hæc non ob aquarum potiones, ſed eo modo, quo ſubſequitur ſitis ob euacuationes factas medica-

mento

mento purganti, & ſignum eſt euacuationis perfectæ, & hæc quo ad vniuerſalia ſufficiant.

SECTIO SECVNDA.

De prædictarum aquarum facultatibus in curandis hypochondriorum morbis.

DISTINCTIO PRIMA.

An valeant in obſtructionibus.

COmmuniter hactenus de noſtris hiſce thermalibus aquis ſummatim egimus; nunc verò peculiaritèr de earum viribus, & quibus ad conterendos, & propulſandos morbos facultatibus pollent, erit oratio noſtra, & in hac ſectione de ventriculi, hepatis, lienis, meſenterij, & inteſtinorum affectibus agemus. Et quia in edita de ſputo ſanguinis hypochondriaco ſuperueniente conſultatione de obſtructione diximus, & thermalium aquarum commendauimus vſum, & res ex voto ſucceſſerit, ideò primum erit inquirendum. An in obſtructionibus conueniant. Et vt nobis plenior habeatur aſſenſus ex ijs, quæ Genitor meus Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor minimè vulga-

ris paginæ conſignauit confirmata erunt, approbata, & quodam modo ſtabilita, & huic libello vt experta, ſimul aggregata. Patiuntur hypochondriaci ventriculi non ſolùm intemperiem, ſed etiam obſtructiones, & tumores in viſceribus, & maximè ſi morbus confirmatus fuerit. Obſeruatum eſt earum aquarum vſum opportunum, & conueniens eſſe. Hic tamen quæritur, an etiam ratione commodus ſit. Et prima ratio in oppoſitum eſt, quia ſubſalſæ ſunt aquæ, & conſequenter adſtringentes; ſic Hypp. de aere, aquis, & locis ſcriptum reliquit, ſalſas ſcilicet aquas exiccantes eſſe, & adſtringentes, & conſequenter etiam ſubſalſæ, & ſi minus. Cum igitur in hypochondriacis adſint obſtructiones aperientibus vtendum erit, & non adſtringentibus. Prima ratio in contrarium.

Ventriculum hypochondriaci habent intemperatum, & vt plurimum ad frigidum, ijs enim ab aſſumpto cibo fluctuat ventriculus, flatus erumpunt, ſputum ſuperabundat, cibus tardè deſcendit, ſtomachus eructat, atque crudis, & aquoſis ſcatet humoribus; hinc potiùs nocumentnm thermales afferent aquæ, quàm leuamen. Vlteriùs, & tertio, ventriculus crudis, & pituitoſis humoribus repletus exiſtit. Sunt aquæ diureticæ; nullo igitur modo conueniunt, quia ſi exhiberenrur, ſuccos Secunda 3 ratio.

illos pituitoſos, & crudos ad vretheres meatus, & ad partes deferrent obſtructas; atque ad viſcerum intimiora; & ibi perſiſtentes ob vaſorum anguſtiam maiores facerent obſtructiones. Totum hoc à Mercuriali confirmatum apparet conſult. tom. 3. quo in loco ſcripſit ita. Non parum detrimenti ex thermalibus aquis propter ſubſequẽtes obſtructiones afferri, eo quod illis in locis craſſi reperiuntur humores, & retinentur; vnde ex illarum vſu maiora proueniunt accidentia; & multo magis ſi fuerit hypochondriacus ęger, & ad melancholiam facillimè procliuis. Melancholia enim morbus à ſiccitate prouenit, & thermales aquę deſiccant.

Contrarię rationes. In oppoſitum multi experti, ac eruditi ſcripſerunt, & iuuaſſe comprobarunt experimento, inter quos eſt Vidus Vidius de curatione membratim lib. 10. qui Lucenſes Tectucianas, & Villenſes ad curandas obſtructiones commendat aquas, ac hydropem ſpadenſes. Ratio eſſe poteſt, eo quod euacuato corpore reliquas, quæ adhuc remanerent in ventriculo, meſenterio, vel in primis vijs ſuperfluitates, & excrementa valent expellere, & per aluum eijcere. Viſcidæ enim, atque craſſæ ſuperfluitates, & earum congeries, ſiue copia, radix eſt obſtructionum, quæ in miſeraicis venis exiſtunt, & re vera ita eſt; hinc impedita ſubſequitur

ali-

Digitized by Google

alimentorum diſtributio; flatus, diſtenctiones, corporis grauitates, vapores in caput aſcendentes, & alia emergunt accidentia.

Ad obſtructiones igitur aperiendas, vias reſerãdas neceſſarium non ne erit, vt cauſa remoueatur? & quæ in meatibus exiſtit auferatur? Vtique, cauſa verò, quæ obſtruit, & oppilat, humor eſt craſſus, viſcidus, pituitoſus, & lentus; oportet igitur vt amoueatur, & expellatur: conueniunt igitur aquæ prędictæ, quia cauſam emittunt, & amouẽt; dum enim cauſa per aluum, & per vrinam foras eijciatur, & conſequenter viæ, & meatus aperiuntur, dilatantur, atque deobſtruuntur. Calida inſuper viſcerum eſt intemperieș, hepatis præſertim, hæc enim cum ſit in modica ab aquis obtunditur, & ad incocoċti alimenti attractionem inualida redditur, & alimentum inde propter moram in ventriculo pro concoctione neceſſarium meliùs concoquitur, atque digeritur. Prima.

Roboratur etiam ventriculus, & valdè reficitur non ſolum ob eorum humorum euacuationem, ſed etiam ob aquas exhibitas, atque potatas, quæ ita temperatæ ſunt, vt ſupra notatum eſt, V. G. calefacta refrigerent, & refrigerata calefaciant. Secunda.

Et tandem cum detergant, incidant, abluant, & humores viſcidos, atque craſſos fluxiles faciant, & Tertia.

vrinas moueant, eoſdem ad expulſionem reddunt idoneos.

Goſſipienſes aquæ. Pari ratione Goſſipienſes in Germania laudantur aquæ; quæ propter ſalſedinem parum ſunt exiccantes, & ad ventriculi robur ſtrenuè firmandum efficaces, & ita vt nauſea abundo ventriculo proſint, & nonnullæ aliæ à Scriptoribus numerātur aquæ, quas recenſere longum, & tædioſum eſſet.

Ad rationes in contrarium, & ad primam dicendum erit. Verum eſſe ex Hypp. ſubſalſas, & ſalſas aquas adſtringentes eſſe, & ventre magis adſtringere, quàm emollire, ſi potu quis ijs vteretur, in prandio V. G. vel pro conſeruanda valetudine; & hac in re notandum, quod addit, V. G. ventrem magis adſtringere, quàm emollire. Vtrumque igitur ſubſalſis, aut ſalſis attribuit aquis.

Qua de cauſa ventrem emolliant, & adſtringant. Hinc igitur quis inferre poterit, & rationem inquirere quomodo poſſent, & ventrem magis adſtringere, & emollire? An quia in pauca quantitate ebibitæ adſtringant, & in magna copia aluū emolliant? An verò quia prædictæ thermales aquæ ſubſalſæ proprer nitri facultatem, quam habent adſtringendi vim caſtigatam obtineant, & hac de cauſa, vt tutius exhibeantur, ſi adſtringere volumus, inſtituitur Syr. V. G. adſtringens, & ſi aluū

ſol-

ſoluteprçcipitur Syr. V. G. ſolutiuus ; vel quid aliud , quod eam ſoluat.

Ad ſecundam rationem malè affectum concedimus eſſe ventriculum , & intemperatum cum materia , vndè duæ neceſſariæ ſunt indicationes, vt primo à craſſis viſcidis , vel alijs humoribus expurgetur , atque mundificetur ; & deindè , vt illius attendatur intemperiei per aquarum potiones euacuantur , quæ ventriculum onerant , & conſequẽter ea, quæ fluctuant, flatus excitant , deſcenſum alimenti impediunt , & alia producunt accidentia, & eodem tempore ab ijſdem aquis ſatis fit intemperiei , roborant enim , vt dictum eſt , temperant, calefacta frigefaciunt , & frigefacta viſcera calefaciunt .

Ad tertiam potãtur aquæ cum præcedenti medicamento ſolutiuo , & in magna copia , & quantitate hauriuntur , ſoluitur aluus, indè exonerantur inteſtina , ventriculus , & primæ viæ non ſemel accipiuntur , ſed per duas , tres , & quatuor dies mundificata remanent inde inteſtina , & aliæ partes . Penetrant etiam aquæ , & vltra gibbam hepatis partem percurrunt , ad vretheres , & veſicam deſcendunt , vrinam mouent , ſed per aluum euacuatis prius craſſis , & viſcidis , ſeu ſeroſis ſuperfluitatibus . Vnde cum ad renes illarum portio mi-

nor

nor perueniat, ſecum crudos humores non ducet, & ſi quid in meatibus vrinarijs inueniatur, non ſolum detergitur, attenuatur, & diſſoluitur, ſed etiã fluxibilius redditur, & per veſicam faciliùs expellatur: diureticæ non ſunt, quia diuretica vera, calida ſunt, & ſicca; mouent tamen vrinam, & quaſi per accidens eo modo, quo ſemina melonum ob ſuperfluam humiditatem mouent, & hinc neque ſequuntur viarum anguſtiæ, neque maiores obſtructiones, eò quod etiam per vrinam cauſam euacuant aquæ thermales.

Mercurialis ſcopus. Mercurialis verò loco citato conſilium ſcripſit Antonio Mariæ Lombardo, qui decennali vomitu erat affectus, & pituitoſorum humorum, ac bilioſorum, & nigrorum per interualla vomitionibus affligebatur, proueniebant è toto corpore, præſertim verò ab hepate, & veſica fellea irruentibus ſuccis illis in ventriculum euomitiones. Expedit, inquit Mercurialis, vt non ſolùm hepar, & ſtomachus, ſed etiam & totum exiccetur. Verum exiccatio maximè fit per medicaméta ſolutiua, quę per accidens euacuatis ſubſequitur humoribus. Patiebatur etiam prædictus æger in veſica fellea obſtructiones, ac etiam in hepatis parte connexa duritie, & inſuper hypochondriacus, ac melancholicus cum nocturnis pollutionibus erat infirmus,

atque

atque vertiginoſus. Quibus poſitis dubitat Mercurialis; An ipſi conueniat aquarum Tectuccianarum vſus, quia magis exiccarentur inteſtina, eò quod per vomitum humores eijciuntur, & dubitat de fruſtata ventriculi coctione, ne propter obſtructiones, & durities, ac congeſtionem eorum humorum, nec non & indè ſuperuenientibus vomitibus nocerent aquæ; qua de re addidit ſi poſt exactam totius corporis expurgationem ad inteſtinorum ablutionem dictarum aquarum placeret vſus, per triduum fiat, &c. & ad arcendam ſiccitatem non damnarem inquit Lucenſes aquas. Vnde videtur, quod non de omnibus aquis egerit, ſed tantùm de Tectucianis, eò quod pro ſiccitate inteſtinorum auertenda Lucenſes laudarit aquas.

Dubitat ſpecialitèr de ſupradicto infirmo ita malè affecto, & cum ſupradictis circumſtantijs nõ ſolùm ob ſenilem ætatem natiui caloris defectum, ſed etiam ob ventriculum imbecillem, & alia, quæ peculiari quadam ratione contra indicare videntur, & nos ſimiliter, ſi neceſſaria fuerit V. G. ſanguinis miſſio, & contra indicans validum, & vehemens, à ſanguinis miſſione abſtinemus. Nam in conſilio pro Sereniſſimo Bauariæ Duce ad hepatis refrigerationem, calefacientes, & exiccantes commendat aquas, inter quas Lucenſes enumerantur,

& non

& non ſolùm vt humores euacuantes; ſed etiam vt deobſtruentes. Vnde non videtur ex his aquarum noſtrarum in obſtructionibus vſus ob vires, & facultates, quas retinent, vt ſupra dictum eſt aſpernendus.

Hiſtoria. Mater cuiuſdam Don Stephani Brignone Sacerdotis malo corporis habitu affecta cachochyma, & ita obſtructionibus obnoxia, vt alimenti prohibitam pateretur diſtributionem; quod indè in ventriculum remeabat, vnde pituitoſorũ, craſſorum, atque nigrorum ſuperueniebant euomitiones. Nulla illi erat appetentia, nauſea abunda, tumebant viſcera, crura, & pedes, principium erat hydropis. Hæc ex vſu prædictarum aquarum euaſit libera, & incolumis, & cum perfecta ſalute viuit adhuc. Sic & à pari à Leonardo Ioachino huiuſmodi commendantur aquæ non ſolum pro hydropicis, ſed etiam pro aſthmate, iuncturarum doloribus, & membrorum intemperaturis. Spadenſes aquæ quaſi certam hydropicis ſalutem pollicentur, etiam ſi morbus confirmatus fuerit, eò quod in abdomine redundantes aquas per vrinas euacuant, & educunt, atque ſimul partibus naturalibus mirificè robur reſtituunt amiſſum, & reſtitutum conſeruant. Pari etiam experimento Tectuccianæ laudantur aquæ. Porretanæ & D. Mi-

Pro hydrope.

chaelis, de quibus ſcripſit Vidus Vidius lib. 10. de curatione membrorum cap. 5. de hydrope, inter quas etiam & hæ noſtræ prædictæ ob ſubſalſedinē nitroſam, & ſulphuream facultatem commendari poſſunt ex maxima ob illam vim, quam ex modo permiſtionis acquiſierunt, de quibus ſcripſit etiam Ioannes Criſpo Genitor meus, vt infra videre eſt, cuius authoritate quæ ſcripta ſunt magis approbantur.

DISTINCTIO II.

Num in malo corporis habitu, & in hydrope etiam locum habeat.

IOANNES CRISPO.

IN Iecinoris obſtructione ab humoribus craſſis, & multò magis ipſius lienis, quoties lien adeò tumet, atque dureſcit, vt potiùs lapidoſus tumor tangenti videatur, quàm carneum viſcus; non ſemel aut bis experti ſumus ex hac noſtra aqua Sanctorum Coſmę, & Damiani tumores illos ceſſiſſe, & multoties ex toto euanuiſſe, vt poſtea mirari liceret, quomodo id contingere potuiſſet, cum antea ſerapijs valenter aperientibus, Rheubarbaro, pilulis, chalybe pręparato, & ſimilibus medicinis vſi fuerint, tumoribus tamen eodem modo perſe- *Tumores hepatis, & lienis per aquā ſoluti*

uerantibus. Nos verò accerſiti ſolius aquæ huius vſu tumores omnes conſumptos vidimus; ſed prius inſtrumento chirurgico, ſi opus erat, ſanguinem miſimus, atque præparatis humoribus, & ſolutiuis medicamentis per aluum peccantes ſuccos eduximus, & iterum ſi neceſſe erat ſanguinem ex ſaluatella mittendum eſſe decreuimus; Syr. autem erant, aut de quinque radicibus, duabus oximel, Syr. de fumoterra compoſitus, & ſimilia. Pręparatis humoribus manè duabus horis ante potiones aquarum accipiat æger Serapium Domini Auguſtini affecto liene, vel Syr. de cichorio cum rheubarbaro, læſo iecinore, poſtea calidam, quantum ferre poterit, bibat aquam leuiter, deambulet vt ſupra, quouſque totam biberit aquam prima die ad libras xij. ſecunda die ad libras xj. tertia die ad libras xij, cum dimidia, ſemper tamen ſerapia prædicta præcedant; quo tempore ſi de tumore quid ſuper erit ad quartum, & quintum diem infirmus accedere non erubeſcat, dummodo ſupradictam aquam nō pertranſeat lib. 5. 3. 1 2. licet Argenterius, & alij duodecim, & quindecim dies continuos aliquando thermales aquas propinare ſoleant. Nec mirari licet iecinoris, & lienis tumores his aquis abſumi per expurgationem eductis per aluum, & vrinam humoribus, & excremen-

tis,

tis, cum id quoque Hypp. obſeruaſſe legimus 2. Epid. in Bibione laborante ſplenis tumore,& tandem per vrinam diſſoluto.

Dubitat Gentilis quomodo aquæ ferreæ vim habeant reſoluendi ſplenis tumores cum reſolutio fiat à calido: ferrum verò ſit frigidum. Quę dubitatio ex noſtris principijs locum non habet, nam ferreas aquas cũ Hypp. calidas eſſe declarauimus. Gentilis tamen dicit id facere ferrum à proprietate ſubſtantiæ, & cum ſit ſtipticum, roborat calorem naturalem, & ipſum vnit, & condenſat villos, & indè membrorũ roborata virtus oppilationes expellit, & reſoluit ſplenem, item ferrum ſiccum eſt, & ideò humiditates ſuperfluas exiccat calorem natluum obſidentes, vnde concluſit, quod per ſe, & per accidens id faciat. *Dubitatio.* *Aquæ ferreę calidę.*

Auicenna lib. 1. ſent. 2. doctrina 2. cap. 16. ferreas aquas inquit ſplenem reſoluere, & vim habere roborandi interiora,& excitandi virtutes omnes appetitiuas; & Galen. ad ventriculi imbecillitatem aquarum calidarum, ideſt ſponte naſcentiũ, ſiue thermalium vſum probat lib. 7. meth. medendi cap. 4. *Earũ vires ex Auicen.*

Verum cum thermales aquæ pituitoſos, craſſoſque humores per ſeceſſum educant, ſubtiles quoque, ſeroſos, & aquoſos vt faciliores ad ex-

cretionem expurgabunt, vel abſument earum vi calefactoria, qua pollent, quo fit vt hydrope laborantibus proſint, & Aſciri, & Anaſarcæ præcipuè. Hinc dicebat Galenus 1. ſimpl. med. facul. cap. 7. quod aqua inter cutem laborantibus aduerſiſſimum ſit poculum, & lauacrum aquæ dulcis; ſalſæ verò aquæ, & nitroſæ, ſulphureæ, ac bituminoſæ omnes eſſe perutiles.

Hanc igitur aquam Sanctorum Coſmæ, & Damiani in hoc affectu per Epycraſin hydropicus accipiat, ac repetitis vicibus: ſic enim roborando ſtomachum, iecur, lienem, cęteraque viſcera, ac pedetentim calefaciendo, & exiccandò hydropi non multum inueteratæ iuuabit.

Experti quoque ſumus harum aquarum vſum hydrope laborantibus aliquando damnoſas fuiſſe, aut quia iecinoris temperamentum ferè deſtructū erat ob antiquatum morbum, aut ob ingentiſſimas obſtructiones, non per meantibus aquis per aluum, & per vias vrinarias, aut quia facultas expultrix imbecilla. Galenus tamen illas laudat; & deficientibus modum illas parandi docet lib. 14. methodi medendi.

Nec mirandum, ſi thermales aquæ hydropi ſæpè numero non conducant, eſt enim morbus rebellis, nec fortiſſimis cedit medicamentis, non

ela-

elaterio, non æris ſquamæ, ſucco radicis Sambuci, ebuliquæ lathyris, ac enici ſeminibus, ſucco radicis iridis odoriferæ, braſſicæ marinæ, quam Soldanellam Vulgus Pharmacopolarum appellat, ſilueſtri cucumeri, folijs bacciſque thymeleæ, & chameleę, quas plantas Arabes Mezereon nominant, & multis alijs ſimilibus aquis purgantibus, quę hydragogicę dicuntur, præter alia compoſita medicamenta, quibus pro vix expugnabili morbo Medici vtuntur, & ſæpiſſimè ſine leuamine. Qua de re Antiquiores ad manuum opera deuenere, (iuxta illud Hipp. quod non ſanat medicamentum, ſanat ferrum) vt inferior venter perforetur, & aqua ſectione foras educatur.

At dum aqua prædicta Sanctorum Coſmæ, & Damiani in hoc caſu pro hydrope vtuntur ægrotantes, duabus horis ante infraſcripti Elect. vnc. ſem. aſſumant, poſtea calidam bibant aquam, vt ſupra, tribus diebus continuis, poſtea quieſcant duabus diebus & per ſeptem dies continuos, quibus elapſis, accipiant de prędicto electuario vnc. j. quatuor, vel quinque horis ante cibum, ſuper bibendo aquæ cinnamomi ſtillatitiæ libr. ij. & ſeptem diebus præteritis, iterum ſemel tantum aſſumant aquam, & duobus horis ante præcedat vnc. ſem. elect. prædicti, & deindè duabus diebus

quie-

quieſcant. Poſtea per alios ſeptem dies electuario vtantur ad vnc. j. pro qualibet die, & iterum ad aquam deueniant, quouſque vnum, & viginti dies compleuerint ab aſſumpto electuario; qua procedendi norma plurimos hydropicos D. O. M. annuente perſanauimus. Deſcriptio eſt infraſcripta, videlicet.

Recipe ſalſæ parillæ opt. incidatur.
Ligni ſancti rec. tornati ana vnc. ſem.
Radicis iridis odoriferæ dram. ij.
Galangæ.
Zedoariæ.
Maſticis ana dram. j.
Santalorum rub. & citrin. ana dram. j. & ſem.
Seminum aperitiuorum vnc. iij.
Braſſicæ marinæ, ideſt Soldanellæ vnc. v.
Foliorum Mezereon pręparat. dram. ij. & ſem.
Troſic. alhandal. dram. ſem.
Agarici re. trociſc. dram. ij.
Cinnam.
Cubebarum ana dram j. & ſem.
Gariophill. num. quatuor.

Terantur omnia ſubtiliter, & cum melle optimo deſpumato quantum ſatis, fiat ſecundum artem Elect.

DE

DISTINCTIO TERTIA.

An conferant Ictericis.

EST icteritia quandoque propter veſicæ felleæ obſtructionem, quaudoque ob bilis copiam, & redundantiam; & ſi ab alijs etiam cauſis accidere poſſit. Dubitatur an ictericis conueniat vſus aquarum dictarum, certum enim eſt, quod ſi proueniat ictritia ex obſtructione, conueniat earum vſus, dummodo ſine febri patiens ſit ictericus; detergunt enim aquæ, penetrant, ſoluunt per aluum, & aduſtos euacuant humores: quibus amotis facilior erit morbi curatio, & aliorum accidentium correctio; ſed vnde hæc habeant aquæ, an per qualitates manifeſtas; aut occultas incompertum habemus. Verum ſecurior erit earum vſus, ſi purgatio corporis erit antecedens, & à toto corpore fuerit humorum expurgatio.

IOANNES CRISPO.

THhermales Aquæ ſalſæ, nitroſæ, bitominoſæ, ſulphureæ, ac ſimiles in lienis affectibus conuenientiores ſunt, cum maiorem habeant

vim

vim abſtergendi, calefaciendi, atque exiccandi. Quæ verò minoris ſunt ſalſedinis in iecinoris obſtructione potiùs eligendæ; icteritiæ igitur illa, quæ dicitur Sanctæ Eliſabethę, congruentior iudicatur, dummodo febris non adſit; ſi enim febris erit adiuncta, harum aquarum vſum non probamus. Purgato tamen corpore prius, & repurgato, & ſanguine ſi expediens erit ad ſufficientiam miſſo; poſtea ad aquam potandam accedat æger hoc modo, vt prius duabus horis ante vnc. ij. ſerapij de cichorio cum rheubarbaro aſſumat æger, deindè bibat aquam, regulis, & ordine priùs recenſitis, per tres dies, aut duobus diebus continuis eamdē potet, vt ſupra, quouſque per ſeceſſum, & vrinā expulſa bilis apparebit, & abolita, atque copia bilis euacuata.

Aquæ pro icteritia quales.

Verum ſi icteritia non ex bilis copia vltra veſicæ capacitates fieret, neque ex veſicæ felleæ meatuum obſtructione, quorum vnus ad bilis ingreſſum, & alter à natura factus eſt ad egreſſum; vt ſcilicet ad duodenum trāſmittatur inteſtinum; neque tandem à nimia facultate robuſta, ſed potius à lapillis in eadem veſica fellea genitis icteritia prouenìat; fruſtra & vanus eſſet hic aquarum vſus; ſcimus enim quamplurimos Scriptores de re hac multa dixiſſe, ſed quod proprijs oculis vidimus,

Icteritia à lapillis in veſica.

& ex

& ex relatione viri doctiſſimi fuit obſeruatũ, breuiter adducemus.

Hic enim cum quamdam icteritiam curaſſet, & multis opportunis exibitis auxilijs N. nihilominus die quadrageſimo obijt, & diſſecto in Melitæ Inſula cadauere, & arrepto ſtatim fellis folliculo re duriſſima plenum adinuenit, eoque diſſecto multos lapillos extraxit, leues, ſubcinericios extra, intus flauos, quos idem cum vidiſſem proprijs dentibus attritos periculum fecimus; omnes enim vix quartam vnciæ pendebant, erant in magnitudine ſimiles neſpillorum oſſiculis, & adeò à natura concinnatos, quod arte meliores adæquari haud potuiſſent. **Hiſtoria.**

Refert Hollerius, quinquaginta tres lapides in folliculo fellis cuiuſdam mulieris ſe adinueniſſe; Gentilis in alio, cuius corpus exenteratum vt aromatizaretur, plures lapides in veſica fellea vidit; idem obſeruauit Nicolaus in quadam muliere, ſicut etiam & Beniuenius; Horatius quoque, Augenius, & Fallopius dum Patauij anathomen faceret, quinque lapides in iecinore parùm inter ſe diſtantes ſuſpenſos adinuenit: ita etiam Fernelius: Andræas verò Matthiolus longè rem hanc tractat in ſuis epiſt. med. lib. 5. dum reſpondet Iacobo Cameniceno. Magis tamen memoratu dum eſt **Hollerius** **Fallopius** **Matthiol.**

illud, quod Fernelius ſcripſit in quodam Sene mortuo non eſſe veſicam felleam adinuentam, ſed veſicę loco calculum magnum.

Neque admiratione dignum, & extrarem ſi dicas poſſe lapides in veſica fellea generari, vt perbellè Matthiolus loco cit. craſſa etenim bilis facta aſſatione in hepatis folliculo, vtramque cauſam habet. agentem ſcilicet, atque materialem, vndè facillimè in duriſſimos etiam lapillos cōuerti poſſet; quidquid dicat Fallopius lib. de Foſſilibus; ipſe enim lentum humorem bili mixtum, & ſua caliditate aſſatum potius lapideſcere, quam bilim ipſam autumat, hoc ſcilicet modo, vt bilis potius, vt agens, quàm vt materia concurrat. Nobis tamen magis arridet Fernelij ſententia, quod ſcilicet horum lapillorum, qui peculiariter fiunt in folliculo fellis, generatio fiat ex aſſata flaua bili, hanc enim certum eſt in proprio receptaculo reperiri, ibique velut in carcere poſita, cum non poſſit tēpeſtiuè expelli, quod obdureſcat, & in lapides mutetur. Vtcumque tamen ſit, verum eſt lapides fieri poſſe in veſica fellea à craſſa bili, ſiue per ſe, ſiue per accidens. Ičteritia verò facilè euenit, quando vterque veſicæ meatus obſtructus eſt, vt quæ poſtea bilis generatur, cum non poſſit veſicam ingredi, regurgitans, per vniuerſum corporis habitum

Fernelius

bitum

bitum tranſmittitur, & ićteritia omnibus palam fit, cum ergo diuturna, inueterataque eſt ićteritia, nec opportunis cedit remedijs verendum erit ne bilis aſſata in lapides obduruerit,

At cum multi fuerint de re hac Doctiſſimi Viri ſcribentes, nemo tamen, quod ſciam peculiare caput inſtituit, nec prophilacticam, aut curatiuã methodum adnotauit. Magnus tamen cum ſit medicinæ campus videndum eſt; an aliqua poſſint adinueniri præſidia huic commoda morbo, ſicut de renum, & veſicæ calculis. Multa à Doctoribus auxilia conſtituuntur, quæ vim detergendi habeant, incidendi bilim, craſſam in folliculo contentam, ſicut etiam obſtructiones auferendi, lapides attenuandi, & expellendi. Hypp. enim de Famula Dyſeridis cum caſu, & non Medici iuſſu multum porrum comediſſet, ab vtero lapidem excreuit, idque à porri facultate factum credẽdum fuiſſe. Dioſcorides enim cap. de porro vrinam ciere, menſes pellere, venerem ſtimulare ſcripſit, & per conſequens vteri facultati prodeſſe poſſe. Vnde peritus Medicus multa animo concipere poterit, quæ prędictorum lapillorum generationem inhibeant, & genitos atterant, & expellant; credimus enim eadem auxilia, quibus pro renum calculis atterẽdis, & veſicæ Medici vtuntur, in hoc caſu etiam

Porri vires, & aliorum.

prodeſſe. Auxiliū igitur aliquod excogitandū venit in præſenti, quod & regio morbo opituletur, & lapillis in veſica fellea genitis conferat, cuiuſmodi eſſet Adianthi decoctum, hoc enim, teſte Dioſcoride calculos frangit, hydropi & vrinæ difficultati prodeſt. Similiter ſpica celtica, & aſplenio quis vti poterit. Galenus verò de Theriaca ad Piſonem cap. 9. inteſtina terræ bibita cum vino icteritiam ſanare ſcripſit, atque frangere lapidem, ſimiliter & crithmum, & aquam fragæ. Compoſita inſuper ijdem præſtare poſſunt, vt Andromachi ſenioris theriaca; inquit enim idem Galenus ad Piſonem cap. 14. morbo regio correptis opitulari, calculos imminuere, & alia, quæ propria induſtria parare poſſent. Natura enim, cui totum morbos profligandi incumbit onus, oborto alui profluuio poſt diuturnum icterum innumeros calculos ad granum ordei magnitudine excreuit, vt dixit Fernelius.

DISTINCTIO QVARTA.

An pro intemperatis viſceribus commodæ ſint.

Aquarum vires. EX dictis colligere poterit vnuſquiſque thermalium harum aquarum vires, & facultates; cum

cum enim temperatę ſint ea viſcera, quę calorē excedunt, frigefaciunt, & quę frigida ſunt, excalefaciunt, & Ita propter mixtionem etiam ex ſubſtātiæ modis faciunt vtrumque, & cum adſtrictione quadam ob vim argenteam corroborant, & ita ſæpè, ac ſæpiùs experientijs, & obſeruationibus annotauimus. Neque de his ſolis aquis, ſed etiam & de alijs facta ſunt à Doctis experimenta, cuiuſmodi ſunt Calderianæ, Montis Catini, Ficoncellæ, Vallenſes, & aliæ in ſimilibus affectibus commendatæ.

DISTINCTIO QVINTA.

An ad iecur, ac renes perfrigerandas iuuent, & ad incenſa viſcera.

IOANNES CRISPO.

COgitandum quoque an ad renum, & iecinoris perfrigerationem valent huiuſmodi thermales aquæ, hepate quidem, ac renibus præcipuè multum calentibus, feruoreque nimio ardentibus à ſuccis aliquando mordacibus, aut ſalſis, ſubſtantiæ renum imbibitis, aut ex retentione eorum, quæ viſcera deberent ad partes immittere, *Cauſa feruoris viſcerum.*

tere,

tere, vt eſſet materia potulenta, quæ ſimul nutrimento deberet etiam, & in venas tranſire, vt corpus humectetur, atque vt opus eſt, refrigeretur, non tranſeat, vnde arefactum bilioſi generantur humores, & inde calefit hepar, renes feruent, & totum corpus aridum apparet, ac veluti macie cõſumptum, aut à viſceribus calidis continuatim attracta materia, & ad veſicam expulſa vrinæ profluuium inducat, Diabetem ſcilicet, per quam ſitis accidit inextinguibilis. Quærimus itaque ſi ex hac noſtra aqua Sanctæ præſertim Eliſabeth, quæ temperatiſſima eſt, poſſint perfrigerari renes, ac priſtinam adipiſci temperiem. Dicimus pro his affectionibus poſſe propinari, nam Doctores grauiſſimi temperatis aquis thermalibus in talibus indiſpoſitionibus ſæpiſſimè vtuntur, nam calentes igneaſque iecinoris, ac renum, viſcerumque inflãmationes perfrigerare valent, ita vt frigidus ventriculus nullum patiatur detrimentum ob temperamenti mixtionem.

Qua de re valent etiam aquæ ad flatus in ventriculo exiſtentes diſcutiendos, dolores ex ijs exortos demulcendos, & mitigandos. Verum pro ijs nos vti volumus aquis, quæ extra Vrbem ſunt ſub titulo Sanctorum Coſmæ, & Damiani, quia per has inhærentes ſtomacho humores per abſterſionẽ

ex-

expurgantur, & magis diſſoluuntur flatus erumpentes, & partes corroborantur, & cum calor moderatus partibus ab ijſdem communicetur, ab ijſdem etiam immoderatus attemperatur.

Dubitat Ioannes Colle, an valeant pro ventriculo pituitoſis ſuperfluitatibus repleto, in epiſtola ad Euſebium Alexandrinum, & hoc etiam facit ad rem: An aqua Tectuccij ſalſa, varijſque mineralibus inſignita, nam incidit, abſtergit, & aluum ſubducit, calefacit, ſiccat, epota ad libras quatuor cum melle roſ. ſolutiuo ſit exhibenda, & reſpondet affirmatiuè; quia calefacit, & abſtergit, & educit excrementa pituitoſa. Et quia leuem moram in ventriculo facit, nequit ipſum exiccare, deindè tanta eſt humiditas extranea, vt nequeat ſiccitatem ſtomachi inducere, vt non poſſim inquit admirari viros excellentiſſimos, qui improbant vſum aquæ Tectuccianæ, cum vires permittent, ac ſtomachus, inteſtina, &c. referta ſi excrementis pituitoſis eſſent, ſi ergo ſtomachus erit pituitoſis humoribus repletus, & hac de cauſa frigidus, conueniens erit harum aquarum vſus, & ſi non ſalſæ, vt Tectuccianæ; ſunt tamen aliæ ſubſalſæ varijſque mineralibus inſignitæ, quæ ſubducunt aluum, & calefaciunt, vt temperatæ frigefacta calefaciunt, & frigefaciunt ſuper calefacta, &

per

per quamdam adſtrictionem, quam habent, roborant exiccando leui quadam adſtrictione; vnde ſtomachus ad propriam redit temperaturam.

DISTINCTIO SEXTA.

An in nephriticis, & colicis doloribus conferant.

THermales aquæ à multis commendantur Authoribus, & in prædictis affectibus, vt à Ioanne Colle, Mercuriali, Horatio Guargante, Colutio de querelis nephriticis ex renum, & veſicæ calculo, non ſolum pro præſeruatione, ſed etiam curatione morbi commendantur; & rectè, quia calculi materia craſſus eſt humor, & viſcidus; cauſa verò efficiens eſt calor, qui etiam exiccat, coagulat, & conglutinat eumdem humorem, & ſuperaddunt alij, & non abſque fundamento facultatem in renibus lapidicinam. Quibus poſitis commodus erit aquarum vſus, eò quod per earum vſum obtunditur renum calor, & viſcerum intemperies per refrigerationem corrigitur, cauſam materialem & per aluum, & per vrinam educunt, & facultas illa lapidicina ſublatis cauſis deprimitur, atque conteritur.

Digitized by Google

Sed dubitare quis poſſet; an exiſtente dolore nephritico, & actu infirmos affligente, poſſint aquæ inſtitui, & adminiſtrari. Et videtur, quod non quia tunc temporis infirmi vomitibus,& doloribus torquentur, cruciantur; ventriculus item nauſeat, flatus non ceſſant, potius igitur ſi exhibeantur, afflictiones incrementum ſuſcipiēt,ægri abſque vllo leuamine, quia epotæ per vomitum eijciuntur. Secundo, ventriculus crudis ſuccis ſolet eſſe repletus, nec non & primæ viæ ſcatent ſuperfluitatibus. Sunt aquę diureticæ, mouent per vrinam, penitiora penetrant vſque ad renes, & vretheres; epotæ igitur crudos ſuccos, & viſcidos ſecum ducentes vſque ad vretheres maiores excitabunt inde dolores, morbus augebitur,vrina ſupprimetur ob ſuccos illos coaceruatos, quã ſymptomata minuentur, quia viſcidam, & craſſam illam materiam ad meatus illos vrinarios conducēt, & fortaſſis indè ſuperueniet vrinarum impedimētum ob eiuſdem materiæ retentionem ad veſicam delatum, vt notauit Mercurialis in conſilio, ſeu epiſt. ad Salium. Prima ratio in oppoſitum. Secunda.

Verum idem Mercurialis Tectuccianas commendat aquas, eo quod ſuccos in primis vijs, & ventriculo crudos exiſtentes ſine vllo renum detrimento euacuant, & pro Sereniſſimo Duce Vr-

binate Lucenſes propoſuit aquas; eo quod magnam vim, & facultatem obtineant ad renales ſuperandos affectus, & ad hepatis, & renum abſque vlla ventriculi leſione refrigerationem. Refert Horatius Guargante de quodam Illuſtri Viro dolore laborante nephritico, & podagra, qui eandem materialem cauſam in renibus collectam, & à calore aſſatam in lapillos mutabat, & arenulas, quę dum per anguſta loca mouebantur, & dolores ingentes vrinæ ardorem, atque difficultatem excitabant, & ad tunicam inteſtini coli deſcendentes propter diſtenſionem dolorem colicum, cuius materiæ pars ſi ad pedis extremitatem irruerebat, dolorem pedis inducebat. Refert inquam, quod pro tot malis conterendis Lucenſium aquarum vſus conueniens, & opportunum erat auxilium. Ioannes Colle de quodam Mercatore ſcripſit, cui nihil diuerſa profuere medicamenta, thermalibus aquis exhibitis etiam ſi nil excreuerit, ſanatũ fuiſſe; ex quibus colligere poſſumus, quod facultate quadam inſita, & propria iuuent. De colicis doloribus Vidus Vidius de curatione memb. cap. de colico dolore præſtantiſſimum eſſe remedium aſſeruit, ſi quis ijs vtatur aquis; lentam enim, & viſcidam pituitam abſtergunt, detergunt, & euacuant.

Guargãte.

Io. Colle.

Vidus Vid.

Neque

Neque quidquam faciunt, quæ in contrarium oppoſita ſunt, eo quod ſpontaneis euomitibus afflictus eſt æger, coniectandum erit de ventriculi repletione, quam minuere natura conatur, & maximè cum vomitus vomitu curetur. Si ergo potentur aquę, & vomitus augeatur, haud deſinendum erit ab aquis, quæ materialem cauſam illam viſcidam ſcilicet detergendo fluxibiliorē reddit, & faciliorem, vt per vomitum expellatur; ventriculi indè ſubſequitur exoneratio, & doloris mitigatio. Per vomitum ergo non derelinquat æger aquarum vſum. Crudi inſuper ſucci etiam in primis vijs, & inteſtinis exiſtentes per aquarū vſum ad inteſtina deſcendent; & expellentur, & his expulſis dirimitur fluctuationis cauſa. Diuretica, veraque calida, & ſicca ſunt, non conueniunt. Conueniunt tamen quæ per accidens mouent vrinam, quales ſunt aquę prædictæ. Mouent enim aluum primò, dum medicamento ſolutiuo præaſſumpto ventriculum, & inteſtina à ſuperfluitatibus exonerant, & deindè pars aquarum illa, quæ ad vretheres penetrat, calculos, arenulas, & pituitoſum quid, ſi inuenerint, fluxile reddit, & ſecum ducit vſque ad veſicam, vt per vrinam expellatur, & ita obſeruatur, fluxile reddit, eo quod detergit, & aqueum efficit illud.

Rationes ſoluūtur.

Diureticorū, & vrinā mouentiū differētia.

Digitized by Google

Neque quidquam faciunt, quæ adductæ ſunt rationes, quia ſi magis per epotas aquas vomitiones accedent, maius ſubſequetur leuamen. ventriculus exonerabitur, & exonerata natura magis ad arenulas, & lapillos eijciendos erit intenta; ſi vomitus igitur adſit, aut ſuperueniat, non deſiſtat æger ab aquis, bibat, & euomat; cum aquis enim crudum viſcidum, aut quid aliud erit immixtum, & tunc facilior erit aquarum deſcenſus, & ad inteſtina, vt tandem ſoluatur aluus, & aluo ſoluta, quæ ad vretheres penetrabit aqua, ſecum lapillos, & arenulas ad veſicam, vt per vrinam expellantur, afferet, & tantò magis quod per facultatem abſterſiuam viſcida illa materia, & craſſa fluxilis reddita facilius à partibus, quibus erat imbibita, diſiuncta remanens, per vrinam eijcietur.

IOANNES CRISPO.

QVod verò aqua hæc noſtra renum lapide laborantibus opem præſtare poſſit, etiã

1. Ratio. difficultates patitur. Primo igitur apud omnes Medicos cauſam efficientem calorem eſſe, materialem verò craſſam, tenacem, & viſcidam lapidis, qui in renibus generatur ſatis compertum eſt. Sed aqua hæc, de qua in præſenti inquirimus,

num

num lapide renum laborantibus conducat, non obeſt cauſæ materiali, & efficienti; ergo nullo modo conuenire poteſt; Minor patet, cum enim cauſa efficiens ſit calor, thermales aquæ omnes calidæ ſunt; Materialis verò cauſa craſſa cum ſit, & tenax, aquarum thermalium vſu craſſior, ac tenacior redditur, morbum igitur potius augere, quàm minuere poterunt. Quod verò huiuſmodi aquæ ſint craſſiores, & duriores, dictum eſt ſupra.

Secundo, quod debet lapides à renibus per vretheres expellere, debet facilè vſque ad vretheres penetrare, vt facillimè poſſit lapides ſecum expellere, & ducere. Sed aquæ thermales, vt Hyppoc. de aere, aquis, & locis difficultèr minguntur. & difficillimè vſque ad vretheres pertranſeunt, ergo nocumento potius erunt expulſioni lapidum, & arenularum. Tertio, medicamenta, quæ debent expellere lapidem in renum cauitatibus exiſtentem, debent etiam vrinam mouere; ſed in renum affectibus non debemus vrinam mouere, vt expreſsè docet Galenus lib. 13. meth. med. cap. 2. ergo ad lapides è renibus extrahendos non debemus has aquas propinare cum vrinam moueant.

Secunda.

Tertia.

Quidquid tamen ſit de his rationibus, contra-

rium

Digitized by Google

rium experientia conſtat, vt etiam eximij quoque Viri in hoc affectu mirabilia ſcripſerunt, & veluti quid diuinum potiùs, quàm humanum medicamentum exiſtimarunt ad lapides in renibus conterendos, & expellendos, & ad vrinam ſabuloſam expellendam; vnde in eo Galeno aſcripto lib. de renum affectuum dignotione, & medicatione cap. 5. propè medium, aquarum ſponte naſcentium vſum calculoſis prodeſſe ſcribitur. Oportet autem ad neotericos etiam medicos experientijs, & obſeruationibus edoctos recurrere de thermalibus aquis. Vnde magnus ille Argenterius in com. 3. artis med. ſuperat, inquit; cætera ferè auxilia ad calculum è renibus educendum potio aquarum ſpontè naſcentium; longo enim medendi vſu didici corpus per vrinam expurgari; & dum Piſis docerem per annos vndecim, expertus ſum aquam balnei Montis Catini, quæ non ſolùm lapillos à renibus abradit, ſecumque trahit, ſed etiã pituitoſos humores à ventriculo, & inteſtinis abſtergit, atque ita vtrique malo, quo laborare ſolent nephritici colico inquam dolore, & lapide renum eodem negotio ſuccurrit; habet enim vim hæc aqua expultricem, excitandi aluum, & renes, quibus excitatis calculus facilè expellitur; abſtergit enim, ſicut ſeroſa humiditas, ita vt copia huius

Calculoſis vſus aquarũ prodeſt ex Galen.

Ex Argẽt.

aquæ per renes tranſeunte dimoueatur calculus, eo modo quo lapilli, & lutum ab aquis decurrentibus, & magis adiuuante natura.

Verum quoties hanc aquam pro lapillis expellendis propinamus, ſemper tamen venę ſectiones præcedant, ſicuti & leues purgationes, debet enim vretheres, & veſicam petere, idcircò cum peculiare ſit medicamentum, peculiarem partem reſpiciens, ne ad eam humorum fieret cumulus, & attractio, vniuerſaliori indiget purgatione. Poteſt etiam propinari, & quouis tempore aſſumi pro hoc affectu, ſi neceſſitas vrgeat & bis, & ter, & quater, ac vltra quoque dummodo ſpes ſit, quod dimotus calculus educeretur; ſi tamen in renum cauitate eſſet lapis, vel in renum ſubſtantia; aqua hæc, cæteraque auxilia quæcumque illa fuerint vana, & nulla eſſent; ſed auctis, & multiplicatis lapillis, mors etiam poſt aliquot annos ſaltē ſequeretur, etiam ſi aliquando maior lapillorum pars educeretur, mors enim ſuperueniet ſolùm ex derelictis vlceribus in ipſamet renum ſubſtantia, vt obſeruauimus in R.P. Magiſtro Vito de Vultagio Ordinis S. Auguſtini.

Regulæ in eius exhibitione.

Lapis in cauitate renum, vel ſubſtantia.

Nec tantùm pro curatione, ſed etiam pro præſeruatione, ne calculus in renibus generetur, aquæ iſtæ mirum in modum proſunt, ſicut & in veſica;

vt

Digitized by Google

vt etiam dicere videntur Saxonia, & Mercurialis in cap. de renum obſtructione, & in conſil. med. tom. 3. conſilio pro Principe Ioanne Andrea Auria laborante calculi renalis ſuſpicione, & tom. 4. conſil. 23. Cæteros quos adducere poſſumus Auctores omittimus, ſat ſit Oribaſij ſententia. Vis enim, atque facultas aquarum thermalium ſola, inquit, comprehenditur experientia, cui ſoli quã infinitis credendum rationibus. Nos enim, & maiores noſtri quoque ad lapillos è renibus educendos continuo hac aqua vti conſueuimus, verũ ijs, qui tenerrimam habent carnem, vt pueri, mulieres, alijque ſimilem naturam habentes, illam potius inſtituimus bibendam, quæ in Monaſterio S. Eliſabeth intra Vrbem comperitur, alijs verò Sanctorum Coſmæ, & Damiani.

Oribaſij dictum.

Ad argumenta in oppoſitum adducta, ad primum dicimus, quod cauſæ efficienti nullam opẽ præſtare poſſunt niſi per accidens, ſupra enim diximus, hanc aquam temperatam eſſe, & ita etiam materiali, imò potius cum craſſos humores abſtergendo expurget, materialem omnem craſſam demit & diſpoſitam. Neque quidquam obſtat, quod thermales aquæ duræ ſint, hoc enim ſumitur, quando venirent cum cibis coquendis permixtæ, & ita duræ ſunt, ſi pro potu ſumantur.

Solutiones rationum.

Nos

Nos verò ieiuno corpore iiſdem, vt medicamentoſæ ſunt, vtimur, & vt naturam ſoluendo, vincant, & non vt per coctionem cum alimento vincantur.

Ad ſecundum dicimus, aquas thermales difficulter vietheres petere cum cibis admixtæ, ſecus verò ſi ieiuno ſtomacho propinatę fuerint, vt ſoluant.

Ad vltimum dicendum eſt Gal. eo loci velle tantum, quod in renum affectibus humores alibi exiſtentes, non ducantur ad illum locum;non autem hinc ſequitur, quod in eo loco exiſtentes, ſi comperiantur, non poſſint per eundem locum per conuenientem regionem educi. Aqua verò noſtra lapillos ibi exiſtentes educit, ac materiam, quæ cęteris lapidibus gignendis conduceret, per abſterſionem expellit, & aliam per ſeceſſum mouet, ac pituitam, & ea, quæ in ventriculo, & primis vijs ſunt, per inteſtina euacuat, vndè non ſolùm materia, quę morbum efficit, ſed etiam quæ poſſet in lapillos, & arenulas conuerti, expellit; qua de cauſa, & pro curatione, & præſeruatione poterit commodè exhiberi.

Aqua curat etiam a dolore nephritico pręſeruat.

H DI-

DISTINCTIO SEPTIMA.

Colicis doloribus an conueniant.

NEphritici ſæpè etiam colicis vexantur doloribus, & ſigna confunduntur aliquãdo; ideò poſt nephriticum dolorem de colico decreuimus agere. Et quærimus, an earum vſus ſit conueniens? Dicimus affirmatiuè, dummodo colicus dolor non ſit ab inflammatione, ſed à craſſa, & viſcida pituita proueniat, aut à vitrea præſertim intra coli membranas collecta, aut in inteſtinorũ intrinſecis tunicis detẽta, ſimiliter ſi cõtingeret ex retentione fæcum, flatuum, & eorum, quę per aluũ expurgari ſolent.

Vtrum autem præcedere debeãt vniuerſaliora medicamenta, hoc erit relinquendum Medici curantis prudentiæ ſecundum patientis corporis apparatum, & alia, à quibus deſumendæ ſunt indicationes. Aqua verò, quæ erit exhibenda præaſſumpto medicamento, vt ſupra notatum eſt, feruens ſit, ſic enim magis conueniens erit ad omnes doloris cauſas extirpandas, vt optime ſcripſit Mercatus cap. de dolore colico, nam aqua thermalis magis proficua erit, quia medicata. Vnde

Bibendi aquam modus.

ſi hæc

ſi hæc aqua debito modo, & forma potetur, & indebita quantitate pro colico dolore multum iuuaſſe vidimus.

Refert Ioannes Colle de quodam Mercatore, qui cum per alia medicamenta, & diuerſa in colicis doloribus exhibita leuamen vllum non obtinuiſſet, ex aquarum thermalium vſu, etiam ſi nihil excreuerit, ſanitatem habuiſſe.

DISTINCTIO OCTAVA.

An competant in vrinæ difficultatibus.

HAud abſolutè pronunciandum erit, negando, vel affirmando earum vſum eſſe conuenientem; niſi priùs cauſa difficultatis vrinæ conſideretur; ſi enim V. G. impedimentum erit tale, vt aquæ penetrare non poſſint, aut ſi penetrent impedimentum erit tale, & ita obſiſtens, vt aquis nullo modo cedat, fruſtra erit earum vſus, & adminiſtratio, niſi prius obſiſtens illud impedimentum auferatur, quod aquarum penetrationem prohibet; Fruſtra erit, & nocebit, eo quod aquæ penetrare non potentes, & ad inferiora deſcendere nequeuntes reliquum erit, aut detentæ, vel ad ſuperiora aſcēdentes non leue nocumentū inducant.

Quibus impedimentis poſitis non conferat aqua.

Digitized by Google

Primum igitur conſiderandum erit, an obſtaculum illud, ſiue impedimentum per aquarum potiones ſit amouibile? & deſcendentibus cedet aquis? & tunc poſſent exhiberi. Quod ſi in veſica impedimentum erit, conſiderandum etiam erit; An deſcendentes aquæ in veſicam impedimētum amouere valeant? aliter enim ex aquarum vſu maius vrinæ ſubſequetur impedimentum, eo quod magis veſica diſtendetur, & magis diſtenſa minus ad expellendam vrinam erit idonea.

In nephritide cur aqua magis proſit.

Secus verò accidit in affectibus nephriticis, quia nephriticorum calculi friabiles ſunt, arenulæ congeſtæ facilè diſſolubiles, & facilè per vretheres in veſicam deſcendentes; quod ſi materia ibi erit in regione renum craſſa, ſiue viſcida per aquarum potiones detergetur, & attenuata fluxibilior redditur, & deſcendens per vrinam expellitur; vnde cum aquis aſſumptis, & calculi parum, & arenulæ, & ipſa materia craſſa in matulæ fundo inſpiciuntur, & obſeruantur, & ſicuti Aquę Tectuccianæ conferunt, & aliæ ſine renum periculo iuuant, vt inquit Mercurialis, ita pariter de his noſtris affirmare poſſumus.

Dubitatio.

Vtrum autem ſit primò corpus euacuandum; Dicimus, ſi impedimentum hoc exigit, vt corpus totum ſit electiuo pharmaco purgandum, purgetur

getur prius, & etiam ſanguis mittatur: At ſi cauſa erit in primis vijs,& facilè amouibilis aſſumi poſſunt aquæ prædictæ, ſed prçaſſumpto, vt dictum eſt, medicamento ſolutiuo, & indè potentur poſt duas elapſas horas aquç prædictæ; & non ſolùm ſemel, ſed duobus, tribus, & quatuor diebus in quantitate prædicta, copia, & ad lib. vj. vij. & plus, & ad decem, & duodecim, vt dictum eſt.

DISTINCTIO NONA.

An in Diabete conueniant.

Diabetes ſi à partium corporis ſuperiorum immodico calore prouenerit, & læſa fuerit, ſeu intemperata retentiua facultas, conuenire dicimus earum vſum, eo quod calorem illum immodicum obtundunt, & retentiuæ facultati robur confortando præſtant. Similiter ſi ab excedenti renum hepatis, aut lienis calore, ſiue phlogoſi originem habuerit; vnde etiam aeris,& mordax redditur vrina, & pari modo ſi corpus calidis repletum erit humoribus, qui cum vrina permixti eam mordacem reddiderint, quoniam per aquarũ potiones humores illi non ſolùm euacuantur, modo quo dictum eſt ſupra, ſed etiam eorum, qui remanent,

Aquæ ex diabete qua ratione proſũt.

manent, humorum calor remittitur, & diminuitur, roboratis inſuper partibus propter vim adſtrictoriam, quamobrem ſubſalſum ſaporem habent. Et hac de cauſa non ſolùm in intemperie prædictarum partium cum materia, ſed etiam in ſimplici, & calida intemperie conueniens erit earum vſus.

Aetij dictũ

Aetius tamen videtur eſſe in contrarium, quia diuretica nociua ſunt. Sed non erit intelligendus de thermalibus aquis, quia hæ diureticæ nõ ſunt. Verè enim diuretica calida ſunt, & ſicca: Mouent tamen vrinam aquæ thermales non per ſe, ſed per accidens, eò quod aquę ſunt, & nimiam corpori humiditatem addunt; ſemina cucurbitæ, melonum mouent vrinam, quia quandam aqueam generãt humiditatem, non tamen ſunt verè diuretica. Cõuenit tandem prædictarum aquarum vſus non ſolùm qua refrigerantes ſunt aquæ, renes mundificantes, temperantes, & roborantes, ſed etiam eo quod ab affecta parte per vrinam diabetis cauſam euacuant, vt aſſerit Mercurialis, & alij ferè laudãt aquæ potiones Ficoncellæ, aut Villenſis, & Calderianæ, & alię ab alijs Doctoribus commendantur.

Aquę thermales qua ratione mouẽt vrinam

D I

DISTINCTIO DECIMA.

An competant in ſanguinis mictu.

SAnguinis mictus, aut ſanguinolenta vrina ſi à calore vehementi prouenerit, commodę, & opportunæ ſunt aquæ noſtrę, calorem enim illum immodicum, & feruidum obtundunt, & refrenant, & conſequenter vis illa facultatis, quæ propter calorem cauſa erat attractionis, mitigatur, diminuitur, ſiue igitur à feruentiori hepatis, & renum, aut alterius partis prouenerit, illi ſanguinis mictui aquarum prædictarum vſus erit, conueniens. Mictus ſanguinis cauſa.

Quod ſi ſanguinolēta fuerit vrina propter aliarum etiam ſuperfluitatum admiſtionem, multò magis conuenienres erunt aquæ, tunc erit curationis ſcopus ad particularem illam cauſam, quæ ſanguini mixta, ſanguinolentam reddit vrinam, quæ cauſa per aquarum adminiſtrationem poterit educi, & per aluum, & per vrinam iuxta morbi exigentiam, & tunc cauſa efficienti mitigata, materiali verò educta, & facultate corroborata ceſſabit affectus.

Quod ſi mictēdi ſanguinem inſurget indicatio, ſan-

ſanguis prius mictatur, & ſi opus fuerit, exhibeantur aquæ corpore priùs euacuato, atque mundificato, & deindè deueniatur ad aquarum vſum. Et facta corporis euacuatione, & mundificatione, ſi conſtringendus erit ſanguinis mictus cum eadem aqua ſancta curetur, ſumpta tamen in pauca doſi, vt ad libram vnam cum vnc. ij. & cum alio ſyr. roborante, vel adſtringente, ſi opus fuerit, ſit vſus.

Semper tamen attendenda erit cauſa, à qua ſanguinis mictus oriatur, & id quod ſanguini permixtum ſit, vt non ſolùm cauſam cognoſcere valeamus, ſed etiam, & partem affectam notare debemus, an cum fœtore exeat vrina, aut cum dolore, & de hoc etiam cum ſit grauatiuus, an acutus, & vehemens, & an id quod mingitur cum vrina ſimul cum ſanguine expellatur, & antequam ſanguis mingatur, an poſtea exeat vrina, an è conuerſo, an verò ſimul, & ſemel, vt ex earum adminiſtratione ſequatur auxilium, non neglectis alijs medicamentis, quæ ſimul cum aſſumptis aquis conferre ſolent.

In ſanguinis mictu quæ conſiderāda ſunt.

Vidus Vidius lib. 10. de curatione memb. laudat aquas Brandulæ ex agro Carpenſi, quarum vſus à Bobus originem habuit. Mingebant boues cruentam vrinam, ſed ex potionibus earum ceſſa-

tam

tam obſeruarunt, & ita medicamentum hoc pertranſijt ad homines cruentam mingentibus vrinam.

Quod ſi quis rationem deſiderat, à qualitatibus erit ratio ſumenda, quia ſicuti ſerum laudatur vt abſtergens, mundificans vlcera, & viſcera contemperans, vt ſolutiuum, & acutos euacuans humores per aluum, & vrinam, ita & pariter aquæ prædictæ, vt dictum eſt experimento, & ratione comprobantur.

DISTINCTIO VNDECIMA.

An conueniant in Gonorrhæa etiam Gallica.

SI Gonorrhęa prouenerit ab immodico calore, & vaſorum ſpermaticorum, fuerit imbecillitas, aut relaxatio conueniens erit earum vſus; quia cum adſtrictione, & corroboratione refrigerant, neque timenda erit totalis ſeminis adſtrictio, quia, etiam ſi in morbi principio hauriantur, non ſolùm per aluum, ſed etiam per vrinam mouent, & cauſam materialem expellunt. **Cur in Gonorrhęa.**

Dices tamen. Soluere per aluum non conuenire videtur, quia fieret ſeminis illius corrupti diuerſio. **Dubitatio.**

uerſio. Neque per vrinam mouere, quia ducerentur humores ad partem affectam acres, & mordaces, vt voluit Serapio. Verum hæc de medicamẽto forti, & vehementi, non autem de noſtris, & ſimilibus aquis, quæ temperant, & cum rcboratione adſtringunt, & cauſam per vtramque viam euacuant; nam cum vrinam moueant, per vrinam humores calidos etiam euacuant & acres; & ſi quid ad partem deferunt affectam per tranſitum id faciunt, vt ſimul cum aquis ipſis per vrinam excernantur, eo pariter modo, quo in dyſentericis medicamenra ſolutiua præſtant.

Solutio.

An verò in Gallica Gonorrhęa conueniant? Huic dubitationi reſponderi poſſumus cum Fallopio, qui lib. de Thermalibus aquis cap. x 1. ſcripſit in hunc modum. Et vt ingenuè fatear, vidi exhibitas has aquas quamplurimis laborantibus Gallico morbo, & aliquibus morbum fuiſſe proritatũ, & plurimos, quibus thermalium aquarum potus profuit. Et ex his aſſerit, & colligit, quod morbus nouus tunc erat, & non curabatur auxilijs proprijs. Et ego, inquit, ſum huius ſententiæ, quod morbo gallico laborantibus conueniat thermalium aquarum vſus; dummodò priùs factæ fuerint magnæ purgationes, & reliqua requiſita præmiſſa fuerint, & rectè adminiſtrata, nam vidi plurimos hac ratione

Quomodo in Gallica proſunt.

Proprijs tamen prius auxilijs præitis.

ne

ne fuiſſe ſanatos; & ratio eſſe poterit, quia tunc ſupponitur, quod gallica illa lues ſit extincta tot exhibitis medicamentis, & quod tantum remanſerit intemperies illa calida. An verò dum aquis vtitur infirmus, debeat ambulare. Affirmatiuè reſpondet. Verum in harum aquarum vſu benè erit, vt deambulet æger ad hoc, vt faciliùs deſcendant aquæ.

Familiares, & mihi quidem cariſſimi, quadam cum ſollicitudine, dum hæc de Gonorrhæa ſcribebam, expoſtularunt, vt hìc vini formulam adijcerem imprimendam; iuſta petitio fructuoſa, & pro infirmis emolumentum. Ego verò ſubſidium omnibus conferre cupiens, & libentèr appetens, eam voluntariè deſcribo; verum vt magis conducibile ſit vinum; notandum erit, vt vinum ægrotantes accipiant vniuerſalibus factis medicamentis, nec non poſt aliqua medicamenta ad morbum gallicũ exhibita, vt eſſet elect. de ſalſa, de ligno ſancto, vel ex his compoſitis ſerapijs, & ſimilibus; & deindè ad vini adminiſtrationem, & maximè ſi pręceſſerit inunctio ex vnguento de Mercurio, & non conualuerit æger; tunc enim, vt expertum eſt, maximam præſtabit opem, & D.O.M annuente perfectam ſalutem. Vinum verò ita componitur. Recipe ligni ſancti recenter tornati, & ſalſæ parib.

læ ana vnc. iij. infundantur in lib. 9. aquæ fontis per 24. horas, deindè bulliant lento igne abſque fumo vſque ad medietat s aquæ conſumptionem, & colatura facta parum ſupercalefiat; addendo deindè vini albi lib. j. & ſem. & omnia ſimul remaneant in vaſe vitreo, donec reſideant, & tunc adde fol. ſenæ orientalis vnc. iij. hermodactilorum ſubtil. pulu. vnc. j. & ſem. vel vnc. ij. & hæc etiam decoctio cum pulueribus ſeruetur etiam in vaſe vitreo. Exhibetur mane quatuor horis ante prandiũ, facta prius vaſis agitatione, vt puluеres immiſceãtur. Doſis ad lib. ſem. vel vnc. vij.

Hæc decoctio erit per nouem, aut decem dies. Reiteranda erit opportuno tempore, quia ad diem vſque quadrageſimum vinum exhibendum erit, vndè prædicta decoctio per quatuor vices facienda erit.

Verùm cum morbi gallici primarium ſubiectũ ſit hepar, officina ſanguinis, & conſeqenter maſſa ſanguinis erit à lue venerea deturbata, atque coinquinata; hinc corpus, & eius partes imbecillibres erunt, & fragiles ita, vt propria munera, & particulares actiones perſoluere non valeant: quibus de cauſis non ſolùm toti corpori medicamentis, ſed etiam & partibus occurrendum erit, & hinc curantis Medici erit occaſio,

vt

vt illis occurrat opportunis auxilijs, quæ in decoctione ſalſæ, & ligni ſancti congruentia fuerint.

Hac etiam opportunitate ſumpta commodum erit, vt ſyrupum hic deſcriberem ad gonorrhæam. Recipe lentium, & coriandorum ana partes æquales, & fiat in aqua decoctio, addendo ſecundum artem ſemendiuiæ lactucę, portulacæ, cucurbitæ, melonis ana vnc. ij. ſem. pſyllij florum nenupharis, fol. menthæ ana m. j. & ſem. rutæ, cannabis ana vnc. j. & ſem. agnicaſti vnc.x. poſtea fiat colatura, & huius colaturę Recipe lib. ij. & ſem. ſucci limonum vnc. v. & cum zuccaro quantum ſatis fiet ſecundum artem ſyrupus. Quod ſi erit ſuſpicio gallica, antequam fiat decoctio, poterit fieri prius infuſio in aqua, in qua ſteterint per viginti quatuor horas lignum ſanctum, ſalſa pariilla, vel radices chinę.

DISTINCTIO DVODECIMA.

An conueniant in ardoribus vrinæ.

VRinarum ardores multis de cauſis accidunt, vt ab excoriante, à ſalſa pituita producta, à ſuperfluitatibus calidis, acribus, & mordacibus: & vlcerantibus, veſicæ ſcabiæ, & alijs. Poſſunt etiam *Vrinarum ardorum cauſæ.*

acci-

accidere propter humidi glutinoſi defectum, ſeu diminutionem. Fuit enim à natura tale humidum conſtructum ad veſicæ defenſionem, vt caro illa glandulosa propter mordacitatem, & vrinæ acredinem, veſicam defenderet, & à læſione præcaueret: vnde ſi eſſet veſica à tali glandulosa carnis ſubſtantia orbata, ab vrina maximè lęſiones præſentirentur, & maximè ſi pluſquam oporteret, detineretur vrina.

Quærimus igitur an conueniens ſit harũ aquarum uſus. Et videtur, quod non, quia, quæ urinam mouent humores, ducunt ad partem affectam, ſic Auicenna, Serapio, & alij; qui dicunt prohibendã eſſe urinam quantum poſſibile eſt, ita etiã Ioannes Matthæus de Gradi in nonum Raſis de Almanſ: & primo de Vrinę ardore ſcripſit in hunc modum. Ego autem in iſta materia dico, quod etiam corpori mundo diuretica non conueniunt, neque quæ multiplicant urinam, etiam ſi frigida ſint, & indeminuatur humorũ acuties, & urinæ propter ampliorem, ſeu copioſiorem humidi quantitatē urinæ permixtam, quia quando multiplicatur urina, multiplicatur & mictus, & ex multiplicatis mictionibus debilitantur, & partes.

Rationes dubitandi.

Matth. de Gradi ſententia.

Et licet, inquit, contingat diminutio ardoris, & doloris ſecundum intenſionem; augetur tamen

ob

ob mictionum multiplicationem, & ſpiſſitudinē. Quamobrem idem de Gradi concluſit, quod ipſe non admitteret urinam multiplicantia, ſi in uenis materia exiſteret acuta, ſed tantùm concederet, ut Conciliator, humida, & inſipida, ut eſſent excoriata ſemina melonum, & alia, quæ frigida cum humiditate tamen coniuncta craſſa, quæ fluxilis non ſit.

Quibus addas, quod aquæ prædictæ mouent urinam, nitroſę, etiam ſulphureæ, & ſubſalſæ ſunt, & conſequenter mordicant, & titillant ſaltem ut mingatur urina.

Dicendum tamen exiſtimo in hac difficultate, quod liberè, uel abſolutè pronunciandum non ſit, quod conueniens, aut inconueniens ſit earũ uſus, niſi prius ardoris urinarum cauſæ inueſtigentur, & perpendantur, atque etiam corporis patientis ſtatus, an ſit mundus, aut immundus conſideretur, & an plurimis ſuperfluitatibus ſcateat, & cuius cōditionis, an craſſæ, uiſcidæ, ſalſæ, & pituitoſę ſint; an tenues, acres, mordaces, &c.

Opinio propria.

Quæ conſiderãda in ardoribus vrinæ.

Ponatur exempli gratia, quod ardor urinæ proueniat è partibus ſuperioribus nimis excalefactis ob calidorum humorum præſentiam, aut ſalſæ pituitæ congeſtionem, & deſcendente urina ſimul deſcendant humores illi, aut uiſcida, pituita, & ſalſa,

Aquę thermales cur vtiles.

ſa, quę facilè ob uiſcoſitatem ueſicæ inhærens ardorem efficiat; curandi ratio in tali caſu eſſet, ut è toto corpore, aut è partibus illis humores expellãtur, ut per medicamentum uniuerſale ſol[illegible]iuum cauſa remoueatur, & ipſa etiam pituita. Si uerò talis pituita erit ueſicæ inhærens, erit detergenda, ne ueſicam exulceret, & ſcabiem faciat. Euacuato corpore, & benè mundificato, ſi quid in ueſica remaneret acre, & ſalſum, illud uiſcidum per aquę potiones abluitur, detergitur, fit fluxile, ut non adhęreat ueſicæ, ſed per mictiones expurgetur, & humores ipſi calidi à temperatis aquis temperantur, undè ratione totius corporis impuri, & ratione ueſicæ, quę dilapſum illud acre continet, erunt aquæ conuenientes.

Si ob humidi glutinoſi defectũ.

Si uerò urinarum ardores fuerint ob humidi glutinoſi defectum, erit etiam indicatio, ut factis uniuerſalibus medicamentis, partes illę per renutritionem generentur, quod fieri nequit, ſi urinæ non mulceãtur, & partes non irritentur doloribus, qui mulcendi ſunt, & quod acre ſimul, & ſalſũ, quod abradit illud humidũ obtundatur, & in veſica non permaneat, imò pertranſeat ſubitò; hoc autem aquæ thermales faciunt, abluũt, ardores, & dolores mitigant, & si quid ibi fixum fuerit, abſterſione fluxile reddunt, vt per mictionem expellatur,

latur,

latur, quo facto natura incumbit ad regenerationem illius humidi glutinoſi, quod deficiebat. Aquæ igitur prędictæ cum refrigerent, temperent, & cauſam in veſica exiſtentem, quæ poſſet impedire regenerationem euacuent. Dicendũ erit, quod earum vſus ſit conueniens. Quod ſi vrinæ ardor erit ob lapillos, arenulas, & calculos in renibus, nulli dubium erit, quod erit earum vſus opportunus, cauſa dum abolitur, abolitur etiam effectus.

Purgantia medicamenta, quæ ſolent à practicantibus exhiberi in vrinæ ardoribus eſſe debent lenientia, vt fiat corporis mundificatio, & humorum euacuatio. *Medicamẽta ſolutiua qualia debeant eſſe.*

Quod ſi talia ſolutiua conueniunt, multò magis aquæ thermales; hæ enim ſi exhibeantur modo quo ſupra, præaſſumpto leui aliquo medicamento, vt faciliùs deſcendant, & ſoluant, non ſolùm purgant, & aluum leniunt, ſed etiam temperant, & calorem obtundunt; neque facta purgatione corpus exiccatum remanet, & ſiticuloſum, vt ex ſoluentibus medicamentis accidit, euacuant enim primas vias. Quod ſi quid aquarum vſque ad vretheres penetret, & deindè ad veſicam cauſam ardoris ſecum deferet, vna cum ipſis aquis per mictiones expellitur. Nocet cauſa, quæ V. G. in renibus perſiſtens ſuo calore, & acrimo- *Et qua ratione thermal. aquæ*

nia vrinam mordacem reddit, paulatim ad veſicam deſcendens, dolorem enim excitat ex duplici cauſa, primo quia acris eſt, & ſecundo quia vrina per ſe etiam acris eſt. Per potiones earum aquarum obtunditur caloris illa mordacitas, & etiam vrinæ acuties; quando verò ad veſicam deſcendũt fluxibilior cauſa, & aquea nec in veſica perſiſtet, ſed per mictus euacuabitur etiam ſi viſcida fuerit, & viſcoſa, atque pituitoſa, vel ſalſa, & cum ibi in veſica ſcilicet non perſiſtat, minus nocebit, & vlcerationes non ſubſequentur, quia mixta ſunt cum temperatis aquis.

Et ſi quis erit dolor, eo tunc erit per earum ſuperfluitatum tranſitum, & dolor non erit permanens, futurus verò, qui pendebat à ſuccis illis acribus in ſuperioribus partibus corporis aggregatis, arcetur, vel ſaltem modificatur; quia ſi non omnes deſcenderint in veſicam, erit ſaltem minorata cauſa, quæ & per ſecundam, tertiam, & quartam diem ex continuatis aquarum potionibus auferetur.

Simile in dyſenteria. In dyſenteria, quæ procedit ex inteſtinorum vlcere, non negantur purgantia medicamenta, etiã ſi acres ad partem affectam deſcendant humores, quia ſunt per tranſitum, & mundificato corpore non erit amplius acris humor, qui vlcus fouere

va-

Digitized by Google

valeat, & augere. Eodem & pariter modo dicendum erit; in hoc caſu ſcripſit Bellonius lib. 2. ephem. verſus finem, in hunc modum. Quibus vrina acris, & mordax eſt; quia ſicci ſunt, ſqualli-dique nec non & temperamento bilioſo, ijs maxima ex parte arenulę in vrinis apparent. Hæ autem ſunt veluti particulæ humoris bilioſi, & ſalſi in ſabulum conuerſę, & concretæ.

Et tamen eiuſmodi acrimoniæ quædam eſt opportunitas, nam deterſio magna fit, & ſi quid glutinoſum eſt medijs hærens vijs, deſtringitur, & diluitur. E contra verò ſi vrina non erit ita acris, lenteſcit, ac pituiteſcit, & vt concedam, non ità facilè in arenulas cogit; faciliùs obducendæ pituitæ cogendæ dat occaſionem. Notandum id. Hæc Ballonius. Cum igitur ardor vrinæ proueniat ab humore calido, & acri, vel à ſalſa pituita in ſabulum conuerſa, & concreta, vel ab alia ſimili cauſa, conuenientes erunt aquæ prædictæ, quia detergunt, temperant, diluunt, & per mictionem mingitur cauſa lenteſcere inſuper vrinam, ac eam pituiteſcere faciunt, & illud ſalſum, & glutinoſum, aut expellent è vijs, quibus hærebat, aut cõcreſcere non permittent.

Quod ſi prouenerit ab vlcere aut veſicæ ſcabie vrinæ dolor ob humores acres, craſſos, aut ſalſos, *Ardor vrinæ ſi ab vlcere.*

vnde ſcinditur veſicæ tunica, factis vniuerſalibus, deueniendum erit ad medicamenta particularia, qua de re laudat Aetius ſeri caprini deputati vſum ad decem dies lib. ij. Pari ratione laudari debent, & aquę thermales, ita Franciſcus Colutius laudat Villenſes aquas, Apanenſes, & Patauinas, vt inueteratas intemperies corrigentes, & alterantes, & ita poſſunt etiam exhiberi eo tunc hæ cum aliquo medicamento, quod faciat ad vrinæ ardorem, vt eſſent ſerapia à practicantibus deſcripta, vel trocis, alcheche igi, & ſimilia, quę hic non apponuntur, cum vnuſquiſque apud ſcriptores paſſim inueniet, & ad vlcera veſicæ ſcabiem, &c. quę non ſolùm valere poſſunt facultate propria, qua pollent, ſed etiam vt vehiculum, vt ſcilicet per aquarum ſorbitiones medicamenta penetrent ad affectam partē, eo quod moueant vrinam.

Humidum verò illud glutinoſum pro defenſione veſicæ genitum ſi deficiat, deficientibus abraſionis cauſa, ſeu corroſionis à natura generabitur, & alijs medicamentis etiam per catherem introductis erit occurrendum.

Si ab inflāmatione. Tandem ſi vrinæ ardor ex inflammatione prouenerit, vel aphlogoſi, vt ex cantharidibus accidit, debemus primò occurrere inflammationi, & deindè ceſſata inflammatione ad id, quod ex in-

flam-

flammatione derelictum eſt. Si verò propter cantharides, occurrendum erit cum illis alexipharmacis, quæ contra cantharides valent, & venenum oppugnant. Deindè verò ſi extincta penitus illa cantharidum vi deleteria poſſit eſſe dictarum aquarum vſus opportunus ob relictam phlogoſim in ijs partibus, curantis Medici prudentiæ derelinquitur.

Ad rationes dubitandi ſupra poſitas verum eſſe dicimus, quod ea, quæ mouent vrinam, ducunt humores illos acres, & mordaces ad partem affectam: At potiones aquarum dictarum, primo non ducunt humores ad partem affectam, cum illos primum per aluum expellant, & maximè ſi corpus fuerit expurgatum cum medicamentis ab illis calidis humoribus, quæ in venis totius corporis redundarint, tum quia ſumuntur, & bis, & ter eo modo, quo ſupra dictum: Vnde ſi quid aquarum ad vrethers penetrarit, vrinam ab acrimonia vindicabit, & cauſam ſecum deferentes aquæ, dum mouent vrinam, expellent, & expulſa cauſa non erit acris vrina, ſed modificata ſaltem; & cum impoſſibile ſit, vt penitus detineatur vrina, ideò dicunt Raſis, & Serapio quantum poſſibile eſt, ne ſucci illi calidi, & acres ad veſicam deportarentur, hoc autem intelligendum erit, ſi corpus nō fuerit benè mun-

Solutiones rationes.

Explicatur Raſis Auic.

Digitized by Google

mundificatum; quando enim erit mundificatum, cum vrina non deſcendent acres humores, & corrodentes, & tunc, ſi quid remanſerit in via, per aquarum potiones poterit per vrinam expurgari, & cum neque in partibus ſuperioribus, neque in ueſica detineantur ex earum potionibus manifeſtum ſequetur leuamen. Et ita intelligendi erunt Auicen. quod urina prohiberi debeat, quantum poſſibile eſt, ut corpore non benè expurgato, utendum non ſit urinam mouentibus, ſiue per ſe, ſiue per accidens moueant, quia maius erit nocumentum non ſolùm ob qualitatem humorum in ueſicam deſcendentium, ſed etiam quantitatem. Benè ſcripſit Ioann. Matthęus de Gradi, quod etiā corpore exiſtente mundo, diuretica non conueniant, quia calida, & ſicca ſunt, & hac de cauſa nocere habent. Aquæ uerò non ſunt diureticæ, quia non per ſe mouent urinam, ſed per accidens; & licet multiplicent urinam, & frigefaciant, temperent renes, &c. tamen non ſolùm hæc habent, ſed uim etiam ut per urinam humores in uijs urinarijs exiſtentes euacuent, & licet urinam alia multiplicantia ſint frigida, non tamen euacuant ut aquæ; neque propter ampliorem humidi quantitatē tantum proficiunt aquæ, ſed etiam quia cauſam obtundunt, & per mictus expellunt, & partes attemperant.

Diuretica cur noceāt.

perant. Concluſit tandem non eſſe multiplicandam urinam, ſi in uaſis cauſa perſtiterit acuta, non igitur quod ea in uenis deficiente multiplicari non poſſit urina, ſcripſit.

Dubitat Ioannes Matthęus de Gradi, ne etiam ſi ſit poſt aquarum uſum non ita intenſiuè calida, & acris urina propter multiplicationem ipſius, & dubitat de ſubſequenti partium imbecillitate propter ſpiſſitudinem amictus ob urinę multiplicationem, & quod magis ne ueſica ſuſcipiat calidas illas ſuperfluitates. Sed factis uniuerſalibus euacuationibus, & depoſita per aluum materia, quæ in uenis aderat, acris, & mordax nullus erit timor, quod urinarum multiplicatio lædat, & noceat; & ideò Conciliator humida, & inſipida concedit, ut idem de Gradi ſemina cucurbitæ, ut humiditatem craſſam generantia, quia cauſam ſupponit eſſe in uenis, & propter craſſitiem in partibus detentam non facilè in ueſicam deſcendere; & ideò concedit ſemina prædicta, ut craſſam humiditatem facientia. Negat uerò mouentia urinam, ut acres ſuperfluitates ad ueſicam deferentia. Sed diſpar eſt ratio de aquarum thermaliũ vſu, quia conueniũt purgato corpore à materijs in uenis exiſtentibus, & acribus humoribus; per aquas enim exhibitas non ſolùm primæ uiæ mũdificantur, ſed etiam &

Dubitatio de vrinæ multipliçatione.

Humiditatẽ craſſam generantia in vrinæ ardoribus.

ure-

Digitized by Google

vretheres abſtergunt inſuper aquæ, abluunt, & fluxile reddunt illud viſcoſum, ſalſum, & id quod in meatibus illis reperitur, vt tandem à natura ſimul expellantur.

Aquę qua de cauſa laudantur.

Quod ſi lac commendatur in tali caſu aſininũ, vt abſtergens, & vlcus etiam mundificans, leniens aſperitates, incendium extinguens, & refrigerans, multò magis commendari debent aquæ prædictæ, quę per vrinam cauſam ardoris euacuant, & facultatem habent corroboratiuam ob quandam vim adſtringentem, quam retinent. Et cum ſubſalſę ſint nitroſæ, & ſulphureæ, valent ad exulcerationes veſicæ, excoriationes, ſcabiem, & ad generationem illius humidi glutinoſi proditum à natura propter veſicæ defenſionem. Neque vt nitroſæ, ſulphureæ, & ſubſalſæ calefacere habent, ut ſupra dictum eſt, tum quia talem proprietatem habent à modo miſtionis, ut experientia eſt obſeruatum.

IOANNES CRISPO.

Videbitur certè prima fronte quotidiana luce clariùs in vrinę ardoribus, veſicæque ulceribus uſum aquarum thermalium multum prodeſſe, ut rationes, & claſſicorum Auctorum auctoritates monſtrare poſſunt. Ratio eſſe poteſt,

1, Ratio.

quod

quod in dyſenteria vlceratis inteſtinis huiuſmodi aquæ ſummoperè proſunt abſtergendo, exiccando, ac conſolidando; cur non idem in vrinæ ardoribus veſicæque vlceribus? Amplius ſi in renum vlceribus? cur non & in veſicæ doloribus, atque vlceribus? & ſi verum eſt, quod huiuſmodi aquæ abſtergunt, exiccant, & cicatrizant, quibus operationibus indigemus in veſicæ vlceribus; qua ratione thermales aquæ his affectibus propinatæ detrimento erunt? 2. ratio. 3. ratio.

Sunt quoque grauiſſimorum Authorum teſtimonia, Aetius quidem cap. de veſicæ vlceribus non eſſe inutile experiri, ſcripſit in vesicæ vlceribus naturales aquas, nēpè aluminoſas, atque ſulphureas, & conſimiles, quarum vſum non parum laudat, & pro ſanandis ægris efficacem eſſe dixit. Adeſt etiam auctoritas Vidi Vidij perbellè ſcribētis, quod veſicæ vlcera ſordida vſu aquę Tectuccianę, ſiue Porretanæ, ſeu Aquarij Regis detergantur, & quibuſcunque expurgantur excrementis, & repurgatur à continuo prędictarum aquarum vſu ob vim ſalis, atque aluminis, ſiccabitur vlcus qua præditæ ſunt aquæ; iam verò his ſic prælibatis, rationes, ac medendi praxis in vrinæ ardoribus his noſtris aquis ſi curentur, contrarium liquidò monſtrant, idque comprobare non erit difficile. 4. ex Aetio Ex Vido.

Quæcumque enim (certò ſcimus) in veſicæ ardoribus præſidia per os, aut per ſyphonem propinari debent, hanc, & talem conditionem habere neceſſarium cenſemus, vt poſſint illam regenerare humiditatem vnctuoſam, & lubricam illis partibus à natura donatam, vt urinæ acuitas infringi, ac minui ab illis partibus poſſit, quo fit, ut vnctuoſa, frigida, paucus motus, ſomnus, & quæ omnia humectare potiùs, quàm exiccare valeant. Hæc autem omnia à thermalibus aquis etiam temperatiſſimis haud conſequi poſſunt, cum omnes ſint calidæ, abſterſiuæ, & ſiccantes; & hinc idoneæ potiùs, vt humiditatem illam lubricam abſumant, quàm inducant, & per conſequens intenſior fieret vrinæ ardor, & de ardore ad vlcera citiſſimè fieret tranſitus.

Rationes in oppoſitum.

His quoque addendum in vrinæ ardoribus vrinam prouocantia nullatenus adhibenda eſſe, diuretica dicta, nè tenues ſeroſique humores ad vrinæ vias præcipitentur. Veſica enim exiſtente plena frequentiores fiunt mictiones, unde & maiores dolores, & ad aucta magis ſymptomata proueniunt, & quod magis; debilior redditur veſica, & aptior ad ſuſcipiendum; hinc & vrinę ardor, & calor conſequitur, & inde frequentiores accidunt mictus. Modò ſi diureticis, quales ſunt aquæ thermales

males in hoc labyrintho vtamur, nulli dubium, quod potiora euadent accidentia, atque ſymptomata; & vlcera deindè fieri lethalia, & ad interitum vſque, vt pluries accidiſſe obſeruauimus ob vſum aquarum thermalium intempeſtiuum.

Neque aſſentirem diuiſioni adductæ à Conciliatore differen. 205. de diureticis propriè, & impropriè dictis, ipſe enim diuretica impropriè humida, vnctuoſa ſcilicet humida, & lubrica, vt ſemina maiora frigida, & ſimilia, expurgato tamen corpore, quomodocumque enim illud ſit, à diureticis etiam improprijs ſemper augetur vrina, & repletur veſica, continuus fit vrinæ mictus, continuus dolor augetur, & concitatur inflammatio, & vlcus, ac mors acceleratur, vt perbellè Matthæus de Gradi cap. proprio.

Teſtis etiam ſit Raſis in comm. Prouocare, inquit, vrinam ad veſicam dolentem, & ardentem, eſt inferre ei vlcera. Credendum certè ab omnibus, quod ſi poſſibile eſſet ardorem vrinæ patientes vrinam non excernere, facillimè illis curatio eſſet. Hinc Auicenna, & Practici in hoc caſu viſcoſa, & mucilaginoſa medicamenta, & alimenta præbent, ſolùm vt vrinæ tranſitum impediant. Quod ſi in proprio capite Auicenna dicere videatur poſſe aliquando diuretica propinari, præcipuè quando non 3. ex Raſe. Auicenna.

ſunt vlcera, nec ſanies; caſus tamen potiùs erit metaphyſicus, & rariſſimus, quia rarò continget, vt corpus vndequaque careat excrementis, & ſimpliciter mundum ſit, & purum reperiatur, vt Medici ſit tantùm acutiem vrinę remittere. Potius igitur in hoc caſu ducentibus ad vias inteſtinorum vtendum, & à vijs vrinarijs diuertendum iuxta Galeni mentem 13. meth. habet enim non ſolum ratione, ſed experientia patere lædentes cauſas ad contrarium ducendas eſſe, vt laborante oculo pharmacum deorſum dandum os, ſi verò renes, & veſica laborent, neque menſtrua mouenda, neque diuretica propinanda antiſpaſi, itaque vtẽdum eſt, & reuellentibus, quæ ſententia in hoc caſu maximè veritatem habet. Idem ſentit Auicen. lib. 3. ſen. 19. de curatione ventoſitatis in vrina.

Opinio propria.

Quid igitur in tanta controuerſia ſtatuendum. Dicerem quidem maxima cum præmeditatione his aquis in his affectibus vtendum eſſe, & primo vt in veſicæ, & renum vlceribus nunquam propinentur aquę thermales, niſi pluries, & pluries purgato corpore, & ante aquam exhibitam vnc. quatuor ſerapij de pluribus infuſ. violarum duabus horis ante propinentur, aut ſerapij de portulaca tantumdem, neque in omnibus indifferenter vlceribus, ſed in ſordidis tantum, & inueteratis:

In

In ardoribus verò vrinæ nullo modo has, vel ſimiles aquas auderem porrigere, vt ſuperiores rationes oſtendunt; cum vnctuoſa potius, frigidaque conueniant, quam prædictarum aquarum vſus, nè præter ardoris remiſſionem vlcera ſubſequantur.

Contrariæ verò rationes abolentur, ſi dicamus, quod diſpar ſit ratio inteſtini vlcerati, & veſicæ inflammatæ, ac dolentis. Præbere enim aquas thermales in veſicæ ardoribus, & doloribus, eſt materias ducere ad locum læſum, & dolentem, nam mingendi ſtimulus augeretur, & dolor, quod ſi vlcera contracta eſſent, ſordida, & antiqua poſſent aliquando propinari modo quo ſupra, non tamen ita facilè, vt in vlceribus inteſtinorum; in his quidem aqua citò pertranſit, vlcera abſtergit, exiccat, & non vt in ueſica moratur, cum non per ſeceſſum citiſſimè expellatur. Solutiones rationum.

Quid de prædictarum aquarum viribus facultatibus, & temperie ſenſerim, & ab alijs huius Vrbis Medicis experimento fuerit obſeruatum ex dictis manifeſtum remanet, vt de alijs morbis, quibus competunt, aſſeramus, vt huic ſectioni finem imponamus.

SECTIO TERTIA.

De inteſtinorum affectibus, quibus conueniens eſt aquarum vſus. An conueniant in alui fluxibus.

COmmunis eſt Medicorum doctrina, quod fluxus fluxu curetur, & rectè quidem, niſi talis debeat eſſe curatio, vt derelicta cauſa, neceſſarium ſit, vt Medicus fluxui vires labefactanti, & deijcienti curatione occurrere, extra ordinaria, & adſtringentibus indigeat. Id autem quod quæritur eſt. An in curatione regulari, & ordinaria de cauſa procedente ad effectum conueniat aquarum Thermalium vſus, dummodo fluxus non ſit criticus, ſi enim criticus erit ſinendus, & permittendus, niſi ſympthomaticus euadat, & morbum generet alium, vt V. G. propter humores ſalſos, calidos, bilioſos, & mordaces, ſi contingant in inteſtinis vlcera, & dyſenteria, ſimiliter ſi fuerit dyarrhęa, & purgentur ea, quæ purgari oportet, & leuiter ferunt ægri, ſinendus erit fluxus; ſi verò purgētur, quæ purgari non oportet, tunc non leuiter ferunt ægri, imò cum moleſtia, & faſtidio tolerant. Similiter ſi ſanguinolētæ fuerint excretiones, & ægri

Curatio fluxus duplex.

Fluxus differentiæ.

pa-

patiantur inquietitudines, laſſitudines, vigilias, & ſimilia, tunc ſympthomaticæ erunt euacuationes, quæ quandoque permittenda ſunt, dummodo fluxus non ſit immodicus, & natura fortis appareat ad id, quod nociuum eſt expellendum, & vires ſubſiſtant; aut ſi deſcendentes ad ventrem humores facultatem retentricem reddiderint imbecillem, vel alia induxerint timenda accidentia; tunc in tali caſu ad medicamenta recurrendum erit, ſi vires permiſerint, quæ vim habeant euacuandi, & ſimul roborandi, nec non & in fine conſtringendi, de quibus apud practicantes habentur formulæ; ſimpliciter adſtringentibus non erit vtendum cauſa morbifica in corpore exiſtente, ne detenta fortior, & vehementior euadat, & magis nociua ſit, eo quod tunc ordinaria curatione de cauſa ad effectũ procedere debemus.

Vtrum verò, ſi purgandum ſit corpus, conueniens ſit thermalium aquarum vſus. Sennertus lib. 2. cap. 2. ſect. 2. cap 7. de dyſenteriç curat. Villenſes commendat aquas Calderianas, Tectuccianas, Beatæ Mariç, & pro hac re citat Petrum Bairum, Vidum Vidium, Fallopium, & alios. Mercatus inſuper lib. 3. de morbis inter. cap. 12. de dyſenteria ſcripſit ita. A doctiſſimis Viris ratione, & diuturno experimento, & firmiſſimo firmatum eſſe quod

Thermales aquæ pro curatione fluxus.

quod frequens thermalium aquarum vſus, quæ potentiam etiam habent refrigerandi, conueniens

Aquæ è fodinis argenti, vel ferri.

ſit, & melior eſt earum vſus, quæ in ferri, argenti, uel auri fodinis reperitur. Cum igitur hæ noſtræ thermales aquæ è minera procedant argentea, erũt optimę pro dyſenteriæ curatione.

Commendantur igitur aquæ thermales liberalitèr epotæ, ſi febris non adſit, quæ contra indicet; nam vnico medicamento, & eodem tempore complura opera abſoluuntur, nam & acres humores in uentre redundantes diluti deturbantur, expurgantur, expelluntur, & ſordes in ulceribus adiacentes deterguntur, & ob uim ſalis eadem ulcera conſolidantur, & ad cicatricem perducuntur, ut uidere eſt apud Vidũ Vidium de curatione morb. lib. 9. cap. de dyſenteria, qui Tectuccianas commendat aquas, & addidit earum uſum ſæpiùs eſſe repetendum, quia mirum eſt quanto opere in dyſenteria etiam grauiſſima propulſanda conducere ſolent, & ſicuti aqua chalybeata ualet in omni fluxu, & rectè, quia cauſam amouet, uiſcera temperat, corroborat, & adſtringit, quarum etiam uſum laudat Mercatus, & præcipuè ſi fuerint ex argentea fodina.

Aquæ Tectuccianæ.

Dyſẽteria per criſim.

Dyſenteria cum aliquando ueluti per criſim accidat, utpotè operante natura, & humores noxios, acres,

acres, mordaces, ſalſos, & ſimiles per aluum expellente, qui ad inteſtina deſcendentes exulcerant, & excoriant, conſiderandum tunc erit, quod ille fluxus ſit ſympthomaticus, & illi occurrendum, quia pendet etiam ex vlcere, vel inteſtinorum excoriatione; ne fiant igitur vlcera cacoethe, & maligna occurrendum erit non ſimpliciter adſtringẽtibus, ne vlcus dilatetur, & fiat incurabile, neque ſinendus, neque permittendus erit alui fluxus, quia impediretur opus naturæ ſeſe ab illis humoribus exonerantis. His de cauſis conueniens erit aquarũ thermalium vſus, quia humorum deprimunt acrimoniam, corpus euacuant, roborant, & cum adſtrictione viſcera corroborant, & vlceri proſunt, vt dictum eſt ſupra à citatis Auctoribus; neque ex eo quod humores ducant ad inteſtina uetandus eſt earum vſus, quia per aquas eorum acrimonia obtunditur, fluxiles fiunt, moram non faciunt in inteſtinis, permeant, percurrunt, & per tranſitum deſcendunt humores aqua permixti, & ſi ſalſi fuerint, craſſi, pituitoſi, & inteſtinorum etiam tunicis adhærentes per abſterſionem, quam faciunt; erunt etiam & vlceri vel excoriationi commodæ, & opportunæ.

Aquæ qua de re conueniant in dyſenteria

Quod ſi petas aliquis an exhiberi poſſint corpore vniuerſali purgatione non expurgato. Reſpõ-

An earum vſus ante purgationem.

deri poteſt. Si nil aliud ſit extra fluxum, quod expurgationem indicet vniuerſalem; poſſunt aquæ thermales exhiberi, cum per eas corpus expurgetur, & humores ſint parati, vt fluant, & ita non ſolùm vnica vice, ſed per duos, tres, & quatuor dies; verum ſi corpus fuerit benè expurgatum, & neceſſarium ſit, vt fluxus adſtringatur, iiſdē aquis adſtringi poterit, ſi ad lib. 1. vel duas potentur, & loco ſyrupi, vel medicamenti ſolutiui accipiat ęger ſyrupum aliquem adſtringentem, & deindè ſuperbibat aquam, tunc enim remota cauſa, attendendum eſt effectui.

Ad ea igitur quæ ſupra dicta ſunt: Dicimus ſinendum eſſe fluxum, ſi criticus ſit, dummodo terminos non excedat, dummodo metuenda non inducat accidentia, dummodo vlcus non efficiat in inteſtinis, & dyſenteriam inducat, vt dictum eſt, vel morbum alium, aut alia accidentia, quæ præcaueri debeat, atque corrigere, & tunc ſi neceſſarium erit, & vires permittent medicamento compreſſiuo ante aquarum vſum erit vtendum, quod Medici curantis prudentiæ relinquitur, & deindè aquis eo modo quo diximus vtendum.

DI-

DISTINCTIO PRIMA.

An conueniant in Diarrhea.

NOn conuenire videntur, quia cum aluum ſoluant, & è toto corpore ad partem affectam ducant humores procederetur item contra illud vetus medicinæ adagium, nempè contraria contrarijs curari; non conuenit, igitur, malum eſt enim in dyarrhea ſubducere ventrem; qua de re per alui ſubductionem afflicto maiorem adderent afflictionem. Inſuper non ab vnica cauſa prouenit dyarrhea, & relictis cauſis pro catharricis, vt multitudo alimentorum, & copia, & difficilis concoctionis, quia ventriculum opprimentes per grauẽ reddunt, atque moleſtum; qua de cauſa facultas, vt exoneretur illa copia ad expellendum inſurgẽs, alui fluxus excitat, relictis ergo prædictis cauſis externis. Diarrhea non ab vnica dumtaxat cauſa prouenit, ſed multiplici; poſſet enim fieri à calidis, & mordacibus humoribus, ſalſis, atque pituitoſis, ad quos è toto corpore expellendos inſurgit natura, & cum ſint in magna copia, vel ab intemperato corpore continuo geniti, ſuccedit alui fluxus. Poteſt etiam & dyarrhea prouenire etiam ab

Rationes in contrarium.

Cauſa dyarrheæ.

aliqua corporis parte peculiari intemperata, ſic à capite propter diſtillationes, vnde fluxus catharralis, ab hepate etiam intemperato, liene, ventriculo malè affecto. Vnde chyloſus, cœliacus, lientericus, & ob impeditam alimenti diſtributionem in obſtructionibus meſenterij, & etiam à vermibus, & alijs; qua de re non poſſumus, neque debemus vſum aquarum commendare, quia ſi prouenerit ab humorum acrium, & bilioſorum à toto deſcendentium, cum aquæ totum non euacuent, earum vſus non erit laudandus, neque adiumentum afferet, ſi à pituita, quia cum frigefacient aquę maiorem pituitæ copiam ſuſcitabunt. Neque ſi catharralis erit dyarrhea, quia deſtillationes germinabuntur, ſimiliter ſi à liene, iecinore, & alijs partibus aduenerit, quia fluxibiliores euadent humores, inteſtina ad recipiendum magis idonea, & ob receptionem eorum laxiora, & imbecilliora, & tandem ſi ob impeditam alimenti diſtributionem nullum præſtabunt auxilium, niſi viæ, & meatus reſerati fuerint. Sed cum omnes hę dyarrheæ differentiæ ad tres ſpecies reducantur deſumptas à cauſis; ad cauſam ſcilicet efficientem, materialem, & formalem, vt res magis dilucidetur; negamus primo de cauſis, à quibus ordinaria deſumitur curatio. Quantum ergo pertinet ad cauſam efficientem,

Dyarrheæ differentiæ.

ſi calor acris, & mordax commodus erit earum vſus, quia vt dictum eſt non ſolùm calidorum humorum vim obtundunt, ſed etiam viſcera contẽperabunt, & ſi viſcera erunt frigida, ad quamdam ſymmetriam non ſolùm reducuntur, ſed etiam & humores, cum frigida calefaciant, & calefacta refrigerent, & præ quadam adſtrictione eadem corroborant, atque deſiccant. Cauſa verò materialis cognoſcitur ex exeuntibus; nam aliquando quæ excernuntur, cruda ſunt, inconcocta, vel malè concocta, vel ſunt excrementa, vel aliquod alimentale, vt chylus, ſanguis, & dicitur dyſenteria hepatica, ſed impropriè, & lato ſumpto vocabulo, quia mera dyſenteria fit ex inteſtinorum vlcere, vel pinguedo corporis, vt ſunt humores biliosi, pituitoſi, &c. quę dyarrheæ ſpecies ab aliqua corporis parte malè affecta proueniet, à quibus diuiditur fluxus cerebralis, hepaticus, ſpleneticus, chyloſus, & hac ratione cauſa etiam formalis habetur. Si igitur dyarrhea à cauſis calidis acciderit, aquæ thermales erunt opportunæ ob ſupradictas rationes, & ſi à pituitoſis etiam, quia facultatem habent expurgandi ventriculum, & inteſtina à frigidis etiam, viſcidis, atque craſſis ſuperfluitatibus, & ſimul calefaciendi, atque cum adſtrictione quadam roborandi, & exiccandi, quia ſubſalſæ, atque

ſul-

Digitized by Google

ſulphureę, & argenteæ ſunt, & vim habent etiam fluxum conſequenter adſtringendi, cum ergo præparatam etiam cauſam amoueãt, negligendus non erit earum vſus, & his de cauſis etiam in dyarrhea pituitoſa Ioannes Colle in ſuis conſult. conſultatione pro Quintino Pacifico dyarrhea cachexia, flatibus, tumoribus; & febricula laborante Tectuccianas commendat aquas; quas etiam laudat in ſtomacho frigido, & ſicco, ſed excrementis humidis pituitoſis referto, etiam si ſalſæ sint, quia varijs ſunt insignitę metallis, & licet exiccare habeant, non nocere ſcripsit sicco ſtomacho, quia leuem faciunt in ventriculo moram. Conſult. pro Euſebio Alexandrino etiam ita ſcripsit. Et ad dyarrheæ cauſas deſcendere si voluerimus eſt dyarrhea cerebralis, quę prouenit ob cerebri fluxiones ad ſtomachum, & ventrem inferiorem, quæ fluxio duobus modis cauſare poterit dyarrheam, primo si cibum in ſtomacho exiſtentem corrumpat, & corruptum ad inferiora depellat, uel quod ſalſa pituita deſcendens à capite ſua mordacitate facultatem irritet expulsiuam ad expellendum; poteſt etiam fieri à pituita craſſa, & frigida, ac etiam tenui, quæ præ tenuitate, ut ſerum V. G. fluxibiliores faciat ſuperfluitates, &c. Si fluxio erit à cauſa cibum in ſtomacho corrumpente; non erit aqua-

Cauſa dyarrheæ cerebralis, & modus duplex.

Dyarrhea à cauſa cibum corrumpente.

rum

rum aſpernendus vſus, quia à cauſa erit calida, ſi à cauſa frigida eodem pariter modo, & ratione fluentis humoris, & fluxi, quem cum roboratione uentriculi euacuat, & per adſtrictionem, & roborationem ſtomachus non redditur ita facilis ad recipiendum, & addas, quod cum aquę moueant etiam per vrinam, erit earum vſus erſiuus. Caput etiam euacuatis morboſis illis ſuperfluitatibus humorum, ſeu fumorum aſcenſus, non erit eodem modo ex ſalſis, & minori copia, qui facilè poſsũt à natura diſſolui, & non ita facilè in calidos, vel frigidos conuerti ſuccos, & tanto magis, quia aquæ prædictæ, vt ſubſalſæ, & ſulphureæ vim etiã habent exiccandi, & temperandi pariter, qua de re non ſolùm ſalſam pituitam expurgant, & putridam attemperant, ſed etiam & alios humores tenues, atque ſeroſos.

Si verò prouenerit dyarrhæa ſtomachi vitio, per quod alimentum non concoquitur, conueniũt aquæ ob ſupradictas rationes. Accidit etiã, quod ſuperabundantibus in hepate alimentis, vel id, quod ſuperfluum eſt, expellatur, & tunc conueniũt aquæ, quia quod ſuperfluum eſt, euacuant. Quod ſi ſanguinolenta erit euacuatio, eo quod ab obſtructione in meſeraicis venis, aut in caua hepatis parte, conueniunt aquæ, quia valent in obſtructionibus,

Ob ſtomachi vitiũ.

Ob obſtructiones.

bus, vt dictum eſt. Tandem ſiue fuerit ob vehementem hepatis facultatem attractiuam, ſiue expulſiuam, cum aquæ temperent, corroborent, exiccent, & in fine adſtringant, commendandus erit earum vſus. Similiter ſi ſplenetica fuerit ob humorem melancholicum in hepate genitum, cum talis humor fiat ab immodico hepatis calore, vt conſtat ex Galeno in arte medic. earum vſus erit opportunus: ſimiliter ſi fluxus erit ab humoribus calidis, bilioſis, &c. & in copia, quia euacuant thermales aquæ, & cum roboratione etiam adſtringunt, vt diximus; & ita procedendum erit, ſi complicatæ fluxiones fuerint, & à complicatis cauſis. Verum dyarrhea non eſt curanda, niſi modum excesſerit, vt ſi immodica fuerit qualitate, & quantitate, ſi perſeueret cum maximis vehementibus, & pericu-loſis accidentibus, ſic tranſacto primo impetu, erit deindè compeſcenda, & inhibenda, vt immoderata. Vnde permittenda erit quantum ſatis ſit, vt minuatur cauſa, vel illud ex diuerſis humoribus aggregatum; è contra verò immoderatus adſtringendus erit ob periculum aliquod imminens propter virium defectũ, etiam ſi id, quod excernitur, ſit præter naturam, vires enim ſemper cuſtodiendæ ſunt aliquo modo ſaltem.

Dyarrhea quãdo curanda.

Ex dictis manifeſtè colligitur ad eas, quæ ſupra po-

Soluuntur rationes in oppoſitum.

Digitized by Google

poſitæ ſunt dubitandi rationes, reſponſio videlicet, quod in diarrhæa conueniant ea, quæ cauſam amouent, euacuant, & ſimul in fine adſtringant, & hac de cauſa cum medicamentis mirabulanos exhibemus rheubarbarum parum torrefactum, quę omnia aquæ preſtare valent, neque humores ducunt ad partem affectam, vt ibi reſideant, cum non remaneant ſed præterfluant, & ſint in tranſitu, vt foris expellantur. Neque in diarrhæa re vera ſunt affectæ partes, niſi exulcerationes, & excoriationes patiantur, & hoc non obſtante conuenit medicamentum purgans, ſicuti & in dyſenteria.

Contraria contrarijs curantur, vel per ſe, vt curantur partium totius corporis intemperies abſque materia, cum materia verò, & per ſe, & per accidens, per accidens quidem dum enim materia morbi cauſa remouetur, remouetur & intemperies. Curatio enim morbi ſimplicis, vt ſimplex intemperies per contrarium fit ſimpliciter, ſed quando eſt etiam cauſa, hæc erit primum imminuenda per euacuationem ſcilicet, & talis curatio eſt etiã per contraria, quia morbus per amotionem effectricis cauſæ remouetur. Et hac ratione in curatione diarrheæ per aquas exhibitas, & cauſa demitur, fluxus adſtringitur, & partes roborantur; & dum cauſa remouetur, morbus per contraria curatur, & Curatio fluxus per fluxum quãratione dicitur per contrariũ.

demitur; partes affectę contemperantur, & temperatæ non generant ea, quę fluxionum ſunt cauſæ, & talis curatio præcedens erit etiam, & præſeruatiua.

Quod ſi ex aquarum vſu tunc temporis ſuperuenerit afflictio, ſicut & in alijs medicamentis ſolutiuis afflictio minimæ conſiderationis erit, ſunt enim afflictiones, & illa faſtidia ex humorum motionibus, & agitationibus, nam ijs euacuatis, & expulſis ceſſant, & quærimoniæ, & faſtidia; cæterum quæ dicenda eſſent de diarrhæa, ſiue procedat à toto corpore, ſiue ab aliqua eius intemperata parte, ſeu malè affecta; ex ijs quæ dicta ſunt quid reſpondendum eſſet apparet.

Cum igitur in diarrhæa non ſolùm ſit euacuanda cauſa, ſed etiam roborandæ cum aliqua adſtrictione partes, earum vſus erit opportunus, niſi corpus totum vniuerſali indigeat euacuatione, & facta humorum è toto corpore expurgatione, tunc erit aquarum vſus conueniens, & vtilis. Verum ſi ijs peractis diarrhæa remanſerit, & adſtrictione ſit opus; poterit eſſe prædictarum aquarum vſus in hunc modum, ſi mane præaſſumpto ſyrupo aliquo adſtringente, vt eſſet ſyrupus mirtinus, de agreſta, de roſis ſiccis, vel aliud medicamentum, quod vim, & facultatem habeat adſtrictoriam, & ſimul reſpiciat

Aquarum vſus cur adſtringat.

ciat

ciat partem affectam, à qua diarrhæa procedit, & ſtatim ab aſſumptione medicamenti bibat aquas, non in tanta copia, cum ſoluendi non ſit neceſſitas, ſed roborandi tantùm, & adſtringendi, ſed in pauca quantitate, vt ad lib. 1. & ita perſeuerat per multos dies, donec cohibita fuerit diarrhæa, cum hac tamen animaduerſione, quod corpus non ſit cachochymum, tunc enim non erit fluxus adſtringendus, ſed primo cauſis occurrendum erit, atque medendum ita, ſimiliter ſi diarrhæa prouenerit ex obſtructione hepatis, & venarum meſeraicarum antequam adſtringatur, viæ ſunt aperiendæ eo modo, quo diximus de earum adminiſtratione in obſtructionibus, neque commoda erit eius adſtrictio, ſi totum, vel aliqua corporis pars malè generet excrementa; neque omittenda erunt, ſi ex diutino fluxu aluus erit imbecillis, vel ſtomachus ita imbecillis, vt chylum cõtinere nequeat adſtringentia, & roborantia, tum exterius, tum interiùs erunt neceſſaria.

Digitized by Google

DISTINCTIO SECVNDA.

An competat Teneſmoni, & Dyſenteriæ.

Cur aquæ teneſmon. & dyſent. non conueniant. 1. ratio.

SAtis apparet à ratione alienū thermales aquas teneſmoni, & quod magis dyſenteriæ conuenire, quod multis patere poteſt. Et primo ſic arguitur. Id quod poteſt potius dyſenteriam producere, atque teneſmum, non poteſt dyſenteriam curare. Sed aquæ thermales dyſenteriam poſſunt producere, igitur, &c. Maior patet ex Galeno 1. de Sympth. cauſis cap. 7. vbi ſalſa adeò vehementi motu aluum mouere ſcripſit, vt, qui ijs vſi fuerint, obierint, neque id de marina tantum cogitandum, ſed de ſalſis omnibus, quę vim habent ſtimulandi, & excoriandi, vnde de attenuante victus ratione dicebat idem Galenus cap. 8. ſalsa vt plurimum aluum deijcere: Quæ igitur ſtimulando, irritando, & mordicando aluum deijciunt in dyſenteria propinari non poſſunt: vnde potius ijs, quæ roborādo purgant erit vtendum, vt ſunt mirabolani, rheubarbarum, & ſimilia, quàm alijs.

2. ratio. Secundo, dubium eſt, & non diſſimulandum apud medicis æ Authores, ſi dyſenterici veniant per ſeceſſum expurgandi; etenim Aloyſius Mundella,

della, Chriſtophorus à Vega, & alij Præclariſſimi Viri contendunt in dyſenteria perperam practicantes purgantia pharmaca per aluum propinare; peccantes namque humores longè à læſa parte debent expurgari, ſed in dyſenteria, & diarrhæa læſa ſunt inteſtina, ergo non eſt dandum medicamentum purgans læſam partem petens, vtpotè inteſtina ipſa.

Tandem videtur Galenus damnare omnem aquam thermalem in dyſenteria, vituperat enim illam aquam, quæ per canales plumbeos pertranſit lib. 7. de compoſitione medic. localium in Galeni illa compoſitione, ſeu confectione papaueris, & Auicen. quoque lib. 1. ſen. 2. cap. 16.

Contrarium tamen obſeruatur, & agitur apud medicinæ Profeſſores, ac indefinenter experimur, thermales aquas alui fluxibus, teneſmo, ac dyſenteria præſentaneum remedium eſſe. Verum apud Hyppocratem, & Galenum quoque (quod ſciamus) nunquam huius modi aquę ad dyſenteriam præponuntur, licet, Galenus mille in locis ad vlcera probet. Neoterici tamen poſt Hippocratem, & Galenum aquas has in dyſenteria primatum tenere ſcripſerunt, ac medicamentis omnibus eſſe preferendas. Contraria ſententia. Hyppocr.

Ioannes Argenterius lib. 4. aph. 24. ſtatim dyſen- Argènt.

ſentericis quamdam aquam ſalſam præbebat, quæ dicitur del Tettuccio, qua utebatur quoties nulla febris aderat complicata; ſi vero dyſenteriæ febris mixta eſſet, dabat aliam aquam leuioris ſalſedinis, dixitque huiusmodi Thermales aquas in dyſenteria præferendas eſse, omnibus auxilijs ab omnibus Medicis hactenus ſcriptis, ratio eſt, quia hæc aqua vlceratam partem abluit, colligit, & vlcerati inteſtini ſubſtantiam vnit, & venulas; ſalſos etiam humores in venis reſidentes, nec non & acres in via ad vlcerata inteſtina deſcendentes ſecum trahit, contemperat, & per inteſtina abſtergendo deuoluit, ac partem eorum per vias vrinę diuertit, & deriuat, quę humorum portiones licet acres ſint, & ſalſæ, aquoſitate tamen miſtæ, tantum abeſt, vt vlceratum inteſtinum moleſtent, vt potius roborent, parum calefaciant, & exiccent, quoties mitis erit ſalſedo, quę aquæ quibusdam aliquando ſunt inſignitæ facultatibus, vt neque verbis, aut calamo, ſed experientijs tantum explicari poſſint.

Cur alijs ſit præferẽda medicamentis.

Hercules Saxonia cap. de dyſenteria, qui in ulceribus inteſtinorũ laudat clyſteres ex aquis Thermalibus modo dolor non vrgeat, ſi vero ſint vlcera in inteſtinis ſuperioribus præſtantiſſimum remedium eſt, inquit, aſſumere aquas thermales à Tectuccia dictas cum melle roſaceo.

Hercules Saxonia.

Ca-

Capiuacceus, quando ſordidum eſt ulcus aquis Beatæ Virginis vtitur. Horatius Augenius in lib. epid. med. tex. 3. cap. 6. in fine, cap. in dyſenteria medicatas laudat aquas, quales potiſſimum eſſe aquas, inquit, quæ Tectuccianæ nuncupantur, & in hoc caſu præſtantiſſimas, quia vacuando deſiccant, vlcus detergunt; & idem Augenius pro dyſentericis Lucenſes, & de Monte Catino ad lib. vj. & vij. non ſolùm prima, ſed etiam ſecunda, & tertia die laudat aquas; eo quod ſubſalſæ ſunt, & hac de cauſa non ſolùm à ſuperfluitatibus ſtomachum emundant, & inteſtina, ſed etiam exiccãt, roborant, & adſtringunt, ac corporis viſcera temperant, ita etiam in alijs conſultationibus medic. quia ſua copia epotæ detergunt etiam, & per tranſitum abluunt inteſtina, deſiccant, & aluum ſiſtũt, ut Lucenſes de Monte Catino, dummodo calidæ bibantur, vt facilè deſcendant in ventriculum, & impleant ita, vt aquæ in eo prę multitudine contineri non poſſint, vt facilius efſluant, excurrant, abluant, detergant, & tandem moueant aluum: eſſent & aliæ aliorum auctoritates, quas breuitati conſulentes omittimus. Nos verò ipſi teſtes ſumus, Deum teſtamur, hanc noſtram aquam ſanctam Coſmæ, & Damiani præſentaneum eſſe remedium in dyſenteria. Scimus, rheubarbarum

Capiuac. Augen.

pro-

prodeſſe ſyrupum roſarum damaſcenarum, & illũ de pluribus infuſ. roſ. cum mirabolanis, &c. & opportunis cum alijs etiam auxilijs, vt ſunt pulueres, trociſci, enemata inunctiones, ſed hæc omnia dimitenda ſunt, quando vnico medicamento omnes adimplentur intentiones, & vnico auxilio adeò perficiuntur, vt mirabile ſit; quod Argenterius etiam obſeruauit, & longa experientia didicit, vt ipſe inquit.

Modus aſſũptionis aquæ. Nunc verò quomodo his aquis vtendum ſit exponamus. Pro dyſentericis itaque curandis, nulla præparatione corporis indigemus, vt in alijs morbis ſimilibus, & multò minùs expurgatione; ſed ſtatim ſine mora, vt idem notat Argenterius, propinanda venit, venę tamen ſectione præmiſſa quoties competere videatur: ſecunda die ſupradictam propinamus aquam, exhibitis duabus horis ante ſyr. mirtini, de papauere, ſi dolor vrgeat, poſtea illam propinamus, quę eſt in Monaſterio Sanctæ Eliſabethæ, ſi dyſenteria erit æſtiuo tempore; temperamentum ęgrotantis calidum, iuuenilis ætas, ſi verò nullus dolor, febris puſilla, tempus non æſtiuum poterit aqua Sanctorum Coſmæ, & Damiani pro affectibus prędictis exhiberi; ſitque **Doſis aquę in dyſẽter.** doſis ad lib. 6. quia primus ſcopus eo tunc erit etiã adſtringendi, & propinari poterit aqua bis, & ter,

ac

Digitized by Google

ac quater, quouſque fæces inteſtinorum formam aſſequi videantur; hoc enim auxilij genere contemperantur humores, & educuntur, atque læſæ partes roborantur, &c. vt ſupra dictum eſt; quæ omnia de cæteris medicamentis ſeorſim acceptis fieri nequeunt; fatemur in dyſenteria ferè miracula vidiſſe, & vnica die dyſenteriam ſanaſſe.

Reſtat vt argumentis in contrarium adductis ſatisfaciamus; vnde ad primum dicimus, quod Galenus loquitur de aqua marina, & de cæteris aquis ingenter ſalſis, quæ vtique dyſenteriã producere poſſunt, & magis ſi in cibo quiſpiam ijs vteretur, vt nauigantibus quandoque accidit propter aquarum dulcium defectum marinas bibentibus, qua de re dicit Galenus de attenuante victus ratione, ſalſa plurimum aluum deijcere. Sed ſubſalſa mediocriter, & ſi deijciunt, partes tamen corroborant, & ſoluendo abſtergunt, euacuatis ſcilicet humoribus, quantitate modo, & cæteris, vt opus fuerit, conſideratis.

Argumẽta ſoluuntur.

Aquæ dyſenteriam facientes.

Ad ſecundum dicimus, Horatium Augenium hoc argumentum ex profeſſo tractaſſe, ſi ſcilicet in dyſenteria conueniat medicamentum per ſeceſſum educens; & iterum idem repetit argumentum in epiſt. med. tomi 2 lib. 6. & cum meum non ſit hoc argumentum arguere, ad illa loca mittendi

Ad 2.

ſunt Lectores, ſatis enim nobis ſit ipſum concedere, quod purgatio in dyſentericis nunquam fieri debeat medicamentis acribus, nunquã adſtringentibus; ſed mitiſſimis, & ſecuriſſimis, vt diacatholicone, caſſia, &c. & addidit, ſicut etiam aquis medicatis, quales potiſſimæ ſunt, quæ Tectuccianæ dicuntur; euacuant enim, detergunt, & vlcus exiccant, vt ijs ſoluentibus, & adſtringentibus vti valeamus.

Ad 3. Aquæ plũbeæ cur dyſenteriam efficiãt, Gẽtilis dicta.

Ad tertium de aquis per canales plumbeos decurrentibus, vltro concedimus dyſenteriam producere. Dices tamen plumbum frigidum eſt, ergo non poteſt ex eo inteſtinum excoriari, procedit enim excoriatio ab acuto calore. Reſpondet Gentilis, quod in dyſenteria per inteſtina ſanguis dupliciter excernitur; cõtingit enim aut ob iecinoris facultatem contentiuam imbecillem, & in tali caſu conferre ſcripſit aurum, & ferrum; quia vim, & facultatem habent viſcera roborandi, atque ſtomachum, ſiue proprietate, ſiue ſtipticitate. Aut fit dyſenteria, ſeu ſanguinis egreſſus excoriatis inteſtinis, & tunc plumbum hanc excoriandi vim habet à forma ſpecifica, vel quia in plumbo reperiũtur aliquæ partes ſubtiles aduſtæ, quibus mediantibus poteſt inteſtinorum exulcerationem producere; ſed ratione partium aliarum, quę craſſæ in

plum-

plumbo reperiuntur, vim habet conſolidandi.

Dicit ſecundo Gentilis, quod plumbum per interius propinatum excoriat, ſed extra appoſitum minimè.

Dicit tertio, quod plumbum habet aquam incraſſatam, & veluti putrefactam, quæ per vlteriorem putredinem tranſit in bilim, cuius ratione ſanantur vlcera, & ſimul propter mordicationem, & acutiem, quam acquirit, habet excoriare inteſtina, atque dyſenteriam producere.

Sed quidquid ſit de his, quę dixit Gentilis. Prima eius ratio videtur eſſe contra Galenum lib. 2. de compoſit. medic. loc. cit. ipſe enim monet eo loco tranſeuntem aquam per canales plumbeos eſſe fugiendam; illam enim bibentes dyſenterici fiunt, & rationem addidit, quia in ea aqua, quæ per canales plumbeos tranſit, quodam cænum habetur, & in ea lutum, & limus reperitur ex eodem plumbo productus, quam bibentes aquam, ſimul limum bibunt, & ipſius plumbi fæcem; & hac de cauſa dixit Galenus, dyſenterici euadunt. Ergo ratione potius limi, quæ pars eſt plumbi craſſa, fit dyſenteria, quam ratione partium ſubtilium, vt voluit Gentilis, quo poſito dico propter adhærentiam limi, quam facit limus in inteſtinis, dyſenteriam accidere, quia dum limus inteſtinis adhæ-

Aquæ per canales plumbeos decurrẽtes vitandæ.

Plũbi limũ

ret, & diutius fixus ſi permanſerit, facillimè exulcerationem perficit.

SECTIO QVARTA.

De Thermalium Aquarum vſus in capitis affectionibus, & pectoris.

Rationes in contrariũ.

COmmendandus non videtur vſus in capitis affectibus; repleretur ab aquarum humiditatibus, & euaporationibus etiam ſi quid roborantis facultatis habeant, & adſtrictionis, vnde caput poſſet repleri ſuperfluitatibus, & vaporibus. Verum ſi res cum aliqua diſtinctione conſideretur, non erit omninò prohibendus earum vſus in capitis affectibus.

Cauſa doloris capitis inueſtiganda.

Præponatur igitur capitis dolor, & cauſa doloris inquiratur, an ſimplex ſit intemperies, an cum materia, quæ calida eſſe poterit, frigida, ſicca, vel humida, & hæc verò dolorem quemdam faciet obtuſum; & talis materia poterit eſſe in toto corpore, & à toto in caput aſcendere; ſic etiam & ab alia parte determinata, ſeu viſcere; nam ibi congeſtis, ſeu generatis humoribus poſſunt capitis excitari dolores, aut ſaltem per eleuatos vapores, ſeu flatus dolores induci, ſic enim accidit ex repletione ventriculi,

Digitized by Google

triculi, nam è ſuperfluitatibus eleuati vapores, ſeu fumi, cum difficilè ſint reſolubiles per membranarum, & vaporum diſtentionem, quam faciunt, capitis dolorem inducunt, & excitant. Si ergo dolor à ſimplici prouenerit intemperie, curatio per contraria ſimpliciter erit. At ſi intemperies cum materia, in capite genita erit, ſecundum medicinæ canones euacuanda, erit & ſimul cerebri intemperies corrigenda, & caput inſuper roborandum, de qua re conſulendi ſunt Auctores. Si verò dolor per conſenſum accidat, & à calidis humoribus in caput irruentibus medicamentum purgans conuenire poterit, & thermalium aquarum vſus, non ſolùm pro reliquijs expellendis, ſed etiam pro iiſdem obtundendis, nè calore noceant; temperant enim aquæ, & temperando refrigerant etiam & totum corpus, ac indè neque vapores, neque fumi in caput aſcendent, quia cauſa vaporum iam eſt extincta, & ablata. Quod ſi ab aliqua determinata parte, vt eſſet V. G. ventriculus ſuperfluitatibus onuſtus, è quibus per vapores, ſeu flatus eleuatos fiat dolor, negandus non erit thermalium aquarum vſus, eò quod præmiſſo ſerapio roſ. ſol. vel manna, aut aliquo alio ſimili, & opportuno medicamento, non ſolùm per aluum euacuabitur cauſa, & per vrinam, & aliqua alia concomitans, ſed etiam

Aquarum vſus.

etiam roborabitur ventriculus, & euacuabitur humor, non ſolùm ſi tenuis fuerit, & calidus, ſed etiam pituitoſus, viſcidus, & tenax. Similiter dicendum erit de alijs partibus communicantibus, vt non ſolùm expurgentur, ſed etiam vt temperentur, & roborentur. Vnde conueniunt aquæ non ſolùm in dolore capitis, ſi cauſa fuerit calida, & ſicca, ſed etiam ſi frigida, & humida; quia vt medicatæ diuerſos, atque contrarios habent producere effectus, vt ſupra dictum eſt. Qua de cauſa non ſolùm in dolore capitis actuali procuratione, ſed etiam pro præſeruatione à futuro conuenire dicendum eſt, quia doloris cauſam antecedentem abſtergunt, & concoquunt, eo quod temperato calore, ſeu frigore, pars temperata benè concoquit, & benè concoquens haud excrementa, ſeu nimias generat ſuperfluitates.

In deſtillatione capitis dolore, &c.

Ioannes Colle conſil. pro Honeſta Vidua Eliſabetha Verdini Vadenſi vteri ſuffucatione laborãte deſtillatione capitis, dolore ſtomachi, &c. ſcripſit ita. Cauſam habent hæc à ſtomacho, & ab vtero aſcendentem, & deindè ad ſubiectas partes deſcendentem, & ad pectoris etiam regionem, tuſſim, & difficilem anhelitum facientem, & ad ſtomachum nauſeam producentem, &c. pro curandis ſupradictis accidentibus multa ſcripſit auxilia. Quibus ſi

non

non ceſſerint aquas, inquit, Ficoncellæ S. Caſſiani Villenſiũ, Virginis, & Porrectæ præbãdas eſſe. Non igitur abſolutè pronunciandũ erit, quod thermales aquæ capiti noceant, & maximè ſi dolor, vel alius capitis affectus à calida cauſa, & ſicca prouenerit, & etiam frigida, cum temperatæ ſint. Ita pariter dicendum erit de his noſtris aquis, quæ mediam habent inter calida, & ſicca, frigida, & humida tẽperiem, per quam ad contrarios lapſus ob exquiſitam temperiem & valent, & iuuant abſque partiũ, ſeu viſcerum nocumento, ſeu læſione, eo pariter modo quo ſe habent aquæ fonticuli Diui Petri, Beatæ Virginis, Montis Octoni, de quibus ſcripſit Fallopius lib. de thermalibus aquis cap. ij. quę aquę parum ſatis habent, vt noſtræ, ſalis inquam in locis ſubterraneis concocti, & cum aquarum frigiditate pugnantis, vnde temperiem acquirunt, & parum ſalſæ, ſeu ſubſalſæ ſunt.

Aquæ prędictæ contrarij effectus, vnde & cur temperatæ.

Fallopius.

Ex quibus ſatis apparet, quid dicendum ſit ad dubitandi rationes, quod ſcilicet ob exquiſitam, & exactam temperiem omnes partes corporis attemperant, & roborant. Vnde aqua licet ſit humida, vt medicamentoſa ſuperfluum exiccat humidum, & ſi non impensè, nam vapores illi, qui è fodinis eleuantur, ita contra operantur ad inuicem, vt ſulphurei, ſalis nitri, & argenti per mutuam contra

Soluuntur rationes.

Exiccant humidum ſuperfluũ.

Digitized by Google

operantiam temperies exacta reſultet in aquis, vnde neque ſunt euaporabiles, neque flatuoſæ, ſed flatus diſſoluentes, aquæ ſoluentes, &c.

Neque ſuperfluitatibus repleri poterit caput, imò expurgatis ijs à conſenſientibus partibus non erit humorum efluxus, neque flatus, aut quid aliud; eò quod deficiet materia, quæ communicabatur ipſi capiti, vnde ſi materia erit in primis vijs per expurgationem ceſſabit, & ille affectus, qui per conſenſum erat in capite. Vnde idem Ioannes de Colle in epiſt. ad Alexandrinum Medicum dubitat, an in ſtomacho frigido, & ſicco, ſed humidis excrementis pituitoſis referto, Tectuccianæ conueniant aquæ. Affirmatiuè reſpondet, quia varij ſunt inſignitæ mineralibus, & ideò varijs cõferunt in morbis, etiam oppoſitis ob exactam temperiem, vt dictum eſt; & quia leuem moram in ventriculo faciunt, etiam si ventriculus sit temperamento siccus, non exiccant. Quæ omnia de noſtris his aquis afirmare poſſumus, & non ſolum in dolore capitis, ſed vertigine, & alijs effectibus à cauſa præſertim calida productis, & maximè purgato corpore.

Ioan. Coll. An conueniant in ſtomacho frigido.

In vertigine.

SE-

DISTINCTIO PRIMA.

An conueniant in deſtillationibus capitis.

HOratius Augenius priori tomo de epiſt. & medicinal. conſultationum lib. 9. epiſt. 3. tractat de modo curandi ſalſam, & acrem deſtillationem à capite in pulmonem, procumbentem ob intemperiem calidam, & ſiccam hepatis in corporis habitu ad modum gracili facilè reſolubili, & ad tabem parato, quo in loco, & modum curationis regulas, & medicamenta propoſuit, & reiectis auxilijs, quæ per ligni ſancti decoctum, ſalſę parillæ haberi poſſent, atque cinnæ, quæ carioſa ſolet eſſe; deindè in fine pro reſponſione ſic habet. Deindè verò quod attinet ad aquas medicatas, ſulphureas, ſalſas, atque in vniuerſum omnes vim excalefaciendi, & exiccandi habentes admittere non poſſum, illas vt Lucenſes nuncupatæ della Villa, laudarem refrigerantes, præſertim ferreas, quales perhibentur Sancti Martini, aqua Calderianę in agro Veronenſi, aut Sancti Caſſiani, aut quod magis placeret. Quibus tum ego, tum multo magis Gabriel Fallopius Mutinenſis egregius Medicus vtebatur in huiuſmodi temperamento. Non

Augenij ſententia

Aquæ nimis calefacientes, & exiccantes non laudant vſu.

laudat aquas Lucenſes, quia fortè nimis calefaciút, & exiccant, ægrotus erat temperamento calido, & ſicco, gracili, & facilè reſolubili, & ad tabem parato; ergo ſi thermales aquę eſſent refrigerantes, & vim ferream haberent, valerent in ſimili deſtillatione, & in tali caſu, & nos hac ratione poſſumus his thermalibus vti, quod ſi patiens erit eo corporis habitu prædicto, calido, & ſicco, gracili, &c. ſi non erit vſus aquarum Sancti Coſmæ, & Damiani congruus, quia minus refrigerant, & magis ſubſalſę, eæ quæ in Monaſterio ſunt S. Eliſabethæ exhibentur, in quibus ſi facultas ferrea non eſſet, erit argentea.

Io. Colle.

Ioannes Colle Conſil. pro Illuſtriſſimo Comite deſtillationem ob intemperiem etiam calidam, & ſiccam patientę cum habitu corporis gracili, &c. comparationem facit de his aquis thermalibus cũ aloe, & dixit, thermales aquas in caſu deſcripto ob ventriculi ſiccitatem, & iecoris calorem non eligerem, ſed thermales eas commendandas eſſe, vt minus formidandas, celeriter enim tranſeunt, & exoluunt à pituita frigida, & humida, & dum parum exhalationis demandant ad cerebrum illud humidum exiccant, & frigidum excalefaciunt; parum enim exhalationis ad cerebrum demandant, quia per aluum, & per vrinam euacuant, & genitam

tam pituitam attenuant, & hac de cauſa Ficoncellæ commendat aquas; & etiam quia ventriculum roborant, vt ſulphureæ, nitroſæ, & etiam vt ſubſalſæ, ac ferreę, & hæ aquæ, de quibus ſcribimus prædictas qualitates habent, & ſi non ferreas, argenteas, vnde in deſtillationibus conuenire dicendum eſt; pari ratione laudat Tectuccianas quatuor vicibus bibendas, & maximè ſi deſtillationis occaſionem calida dederit intemperies, & ſi frigida ſit materia, quæ fluit, & in partes deſcendet inferiores; de prædictis aquis idem ſentit Leonardus Ioachinus cap. de coriza, & grauedine, vbi aſſerit, ſi catharrus ſit calidus, materia ſit acris, faciei color rubeus, oportet vt excrementa euacuentur, ſed citra excalefactionem, & exiccationem, quã exiccationem non habent aquæ noſtræ prædictæ, quia tantum eſt ad roborationem partium adſtrictio, & exiccatio. Cum igitur curatio eſſe debeat vt humor acris, & mordax temperetur, & euacuetur, medicamenta debent eſſe refrigerantia, & cum aliqua adſtrictione roborantia, ne ab acri, & mordaci humore fiat corroſio, & exulceratio, & ſimul per aluum eius humoris expurgatio. Hoc auxilium pręſtant aquę prædictæ; ergo factis vniuerſalibus erunt hauriendæ. Neque tandem ſunt aquæ thermales in capitis, & alijs affectibus damnandæ, &

Ioachinus.

Aquæ noſtræ non exiccant.

Ad oculorũ rubores, & aurium affectus.

maximè ſi proueniant à cauſis calidis; ita enim proſunt oculorum ruboribus aurium affectibus vertigini, & alijs ſimilibus ex Mercuriali tom. 3. Conſil, & Reſp. Med. pro vertigine ad Saluium Medicum, qui aquas pro vertigine Tectuccianas potandas inſtituit, quatuor vicibus, & decem Aquarianas, vt moris eſt, quas inſigne emolumentum eſſe allaturas conſulit, ſed tempore debito; quæ omnia in capitis alijs affectibus ſi fuerint ob calidam intemperiem, & per conſenſum à partibus internis adaptari poſſunt his, de quibus agimus aquis.

Mercurialis pro vertigine.

Trincauel. pro deſtillatione, &c.

Totum confirmari poterit etiam Trincauelli authoritate, qui lib. 2. conſil. 56. non ſolùm pro capitis grauitate, & deſtillatione, ſed etiam pro obſtructione, ventriculi imbecillitate, dolore dorſi, concuſſione, tremore inter dormiendum, doloribus articularibus, flatibus, & alijs affectibus Aquarianas commendat aquas; quæ omnia accidentia maiori ex parte à capite proueniunt.

DISTINCTIO SECVNDA.

IOANNES CRISPO.

Pro cutaneis affectibus, capitis deſtillatione, lienis, ac iecinoris Scyrrho, oculorum ſuffuſione, vterinis, & inteſtinorum vlceribus ſcripſit ita.

AD fœdam cutis infectationem, ſcabiemque ferinam non ſemel hanc aquam experti ſumus; plures enim totam fere cutim, carnemque interiorem dilaceratas habentes, exeſaſque cũ ingenti pruritu, & dolore à calidis, mordacibuſque ſuccis ab hepate calido, & ſicco genitis, ac per omnes corporis partes tranſmiſſis, penitus aquę Sanctæ Eliſabethæ vſu ſanauimus, miſſo prius ad ſufficientiam ſanguine, humoribus ſalſis, acribus, atque mordacibus præparatis cum ſyr. de fumoterra, borragine, & ſimilibus, peracta quoque totius expurgatione cum ſyrupo roſato ſolutiuo, manna confectione Hamech, abſque diacrydio, aut ſimilibus, poſtea ad hanc aquam deuenimus; exhibito prius duabus horis ante ſerapio de fumoterra compoſito ad uncias duas, poſtmodum, vt ſupra, Aquę S. Eliſabeth.

aquam

Digitized by Google

aquam bibendo tribus diebus continuis; deindè abluantur ægrotantes ea, quę apud Eccleſiã Sanctorum Coſmæ, & Damiani reperitur aqua, vt cutis infectio deleatur, vlceraque abſtergantur, & cicatrices obducantur, appoſito quoque aliquo ex vnguentis ad ſcabiem experto, quorum ſilua multa eſt, illud tamen quo frequentiſſimè uſus ſum nunquam me decepit: eſt autem quod ſequitur. Recipe fol. oleandri filo ligatorum numero quadraginta, radicis paneratij numero j. chalaminthæ p. iij. cimini vnc. ſem. ſucci limonum vnc. iiij. bulliant in lib. ij. & ſem. olei communis, donec oleandri folia areſcant ita, vt manibus, digitiſquę tractata in puluerem reddantur, quo tempore omnia auferantur, & reijciantur, & oleum tantum remaneat, deindè adde ceræ pallidæ quantum ſatis, qua liquefacta, & cum oleo, ſimul tepefactis, addantur ſublimati tenuiſſimè triti vnc. ſem. ſulphuris viui vnc. 1. ſalis nitri dracm. iij. miſceantur omnia, & ad vſum ſeruentur.

Vnguentũ de oleand. pro ſcabie.

His lotionibus, atque inunctionibus quinque diebus continuis factis hoc modo, vt noctu ante cœnam ægri prius ſe lauent aqua illa Sanctorum Coſmæ, & Damiani mediocriter calida, mox abſterſo linteamine corpore toto, propè ignem ſe inungat, emunctorijs exceptis, deindè ſeſe induat

indu-

indumentis calidis; poſt duas horas leuitèr cœnent, mane verò lineis illis abiectis, mundis veſtimentis induantur, atque hoc modo perſeuerent, vt quintum diem abſoluant; tandem poſt duos dies aquæ dulcis balneo tepente ſe lauent, ſe abſtergant, & lauent & bis, & ter; qua curandi norma multos ferina ſcabie affectos curauimus, atque curationē abſoluimus.

Ad capitis verò deſtillationem, ſi humida ea ſit, conducet ea, quæ Sanctorum Coſmæ, & Damiani aqua nuncupatur, & ſi acris deſtillatio ſit, & mordax, ea quæ in Monaſterio vtimur, & ſimilibus aquis doctiſſimus Fallopius vtebatur in his affectibus. Pro capitis deſtillatione.

At quod in iecinoris, & lienis ſcyrrho huiuſmodi valeant aquę ex pręhabitis etiam patere poteſt, licet primo occurſu Medicis quamplurimis difficilè videatur, quod ſolius aquæ vſu tumores adeò duri, contumaceſque in totum aboleri, aut minui poſſint. Verum enim verò medicinam ego factitans in ſplenis, & iecinoris tumoribus expertus ſum, tumores aut omninò, aut magna ex parte ceſſaſſe, & à ſulphureis aquis, ſalſiſque decrementum ſuſcepiſſe, eò quod valentèr vrinam moueant, exiccent, detergant, ac per aluum ſubducant lienis tumorum materiam per vrinam educit Pro ſcyrrho lienis, & hepatis.

ob-

obſeruauit Hyppocr. 2. epid. 2 1. in Bibione, licet nulla videatur patens, & manifeſta via lienis ad veſicam; latentes tamen multę ſunt, quia corpus noſtrum vndequaque perforatum eſt, & natura ſibi ipſi vias adinuenit, vt quotidiana monſtrat experientia.

Lienis tumor per vrinam.

Pro affectionibus oculorum.

Oculorum ſuffuſioni non mirum ſi conducat aqua thermalis, antecedens enim materia phlegmatica, abſtergi poteſt, & exiccari, & per aluum, & vrinam educi; corpus exiccatur saltē per accidens, pituitoſi euacuatis humoribus, & roboratur; vnde ſi non factam, faciendam ſuffuſionem aquæ thermales amouere poſsūt, & maxime ſi ſulphureę ſint, & ſalſæ. Vnde Horatius Augenius Thermales aquas in alterius oculi ſuffuſione potius, quam decoctū ligni guaiaci probat ob euaporationes, quæ ad oculos fieri ſolent ex decoctis lib. 9 epiſt. & conſult. med. alterius tomi de ſuffuſione.

Augenius.

Pro vterinis affectionibus.

Vterinos etiam affectus, eos præcipuè, quæ à frigiditate, & humiditate proueniunt, obtundūt, & mirum in modum iuuant; vt longa praxi obſeruauimus, & ita album muliebre profluuium, quod ſterilitatis eſt cauſa propter corruptum, & conſpurcatum ab eo ſemen, aut ob idem ſemen in vtero decenter non retentum; aquarum Sanctorum Coſmæ & Damiani uſu propter exiccationē,

Muliebre profluuium ſterilitas.

& vteri

& vteri roborationem ſterilitatem curauimus. Et quod magis menſes indebitè fluentes non ſolum circa quantitatem, & qualitatem, ſed etiam circa ſtatutum tempus, & naturale inordinatè exeuntes, poſt aquarum vſum debitè, & à natura ſtatuto tempore fluxiſſe notauimus; præmiſſis tamen ſanguinis miſſionibus, ac neceſſarijs, & opportunis euacuationibus (teſtari namque poſſumus, licet etiam totum hoc à quamplurimis Doctoribus comprobatum legerimus) nec non & à prænarratis affectibus eſſe curatas mulieres, quas poſtea cõcepiſſe ſcimus, & ſteriles euaſiſſe fœcundas.

Pro menſibus.

Inteſtinorum tandem vlcera præſertim ſi recẽtia fuerint, vt in dyſenteria, quod huius aquę vſu ad ſanitatem ducantur, ex ſuperiùs dictis in proprio capite ſatis patet. Quod ſi antiqua dummodo non oſtracoſa, & fiſtuloſa ſint, & idem etiam pręſtare poſſunt. Fiſtuloſis quoque inteſtinorum vlceribus, & per os aſſumptæ, vel per anum ſiphone immiſſæ lauare, & abſtergere valent, & ante topicorum auxiliorum adminiſtrationem maximè vtiles, & pluſquam cætera, quæ ſecundum artem parantur, iuuare poterunt, & alleuare.

Pro inteſtinorum doloribus.

DISTINCTIO TERTIA.

An conueniant in morbis thoracis, & primo an in ſanguinis ſputo.

DE thermalibus aquis ſcripſit ita Fallopius. Multi ſunt Medici, qui thermales aquas exhibent in affectibus capitis, & videmus caput iuuari; ſimiliter & in ſanguinis ſputo; & ſi qua eſt aqua, quæ feliciſſimo ſucceſſu exhibeatur in ſputo ſanguinis, illa certè vna eſt Villenſis vocata in agro Lucenſi, quæ non ſolùm plurimos liberat à ſanguinis ſputo; verum etiam à marcore illo, quo fit pthyſis, itaut præſeruet à pthyſi. Deindè verò idem Fallopius. De ſputo autem inquit, ſanguinis referam quid vidi, dum eſſem in Hetruria, & ad Balneum illud Villenſe. Dico igitur, quod plures ex potu illius aquæ vidi ſubleuatos à ſputo ſanguinis, atque præſeruatos à pthyſi; ſed obſeruaui vnum ſcitu dignum, & eſt, quod qui aquam illam pro ſputo ſanguinis potabant, & ſtatim aqua egrediebatur non per vrinam, ſed per ſeceſſum, non curabantur ex potu talis aquæ; qui verò retinebant eam per tres V. G. horas, & poſtea excernebant ipſam non per ſeceſſum, ſed per vrinam ſum-

Aqua Villenſis in ſãguinis ſputo. Fallop.

Aqua Villenſis quibus erat auxilium.

ſummoperè iuuabantur. Vnde colligo, quòd niſi aqua labatur per venas, non prodeſt excretioni ſãguinis, neque præſeruat à pthyſi. Ad hoc autem vt tranſeat per venas requiritur, vt non ſtatim excernatur. Hæc Fallopius de thermalibus aquis cap. 11. ex quibus colligi poteſt, hoc non accidere propter aquę defectum, ſed ratione corporis, quod non erit benè expurgatum, & emundatum à ſuperfluitatibus, vias vrinæ obſtruentibus, vel ab alia cauſa impediente, quæ prius ante aquę potatione erit auferenda, ad hoc vt epota aqua per venas poſſit vſque ad thoracis partes permeare, quas ſi non penetrabit, non poterit eius facultates affectis communicare partibus, & vt faciliùs ad eas ſit tranſitus, etiam cum aperientibus exhiberi poterit, cum ſe habeant aquæ ad modum vehiculi.

Laudatur in hoc caſu Villenſis aqua preſertim, quia quamdam ferream qualitatem habet. Hæc autem noſtra, de qua loquimur melioris conditionis erit, quia præter ſulphuream, & ſubſalſam qualitatem, quam ex concoctione, & integra permixtione retinet, vim habet argenti; integram dixi permixtionem, quia ita durat, & perſeuerat, vt in alias partes delata, nullam facultatem, & vim, quam à principio habuerat, amittat, & deperdat, vel diminutam obtineat, vnde laxas adſtringendo partes corroborat.

Aqua noſtra cur melioris conditionis.

Idem ſenſijt Horatius Augenius in altero tomo epiſt. & conſ. med. Ad Matellianum Medicum, de præſeruatione à ſputo ſanguinis à pulmone, ab eroſione potiſſimum in corpore admodum gracili. Aeſtiuis temporibus, inquit, duo ſunt obſeruanda remedia, vnum eſt potatio aquæ Villenſis de Lucca, nam ſi quid à ſputo ſanguinis præſeruare poteſt, hanc ſanè primas partes habere profitetur.

Pro ſputo ſanguinis ab eroſione. Augenius.

Idem quoque ſcripſit Mercurialis tom. 3. conſil. med. pro Iacobo Bronſino, vbi habet: Lucenſes aquas pro ſanguinis ſputo mirificè prodeſſe. Thermales aquæ licet in ſanguinis ſputo ſint inſtituendæ, non tamen ſimplicitèr, & abſolutè, ſed cum aliqua diſtinctione, hic enim loquimur de ſimplici ſanguinis expuitione. Verum ſi à phlegmone proueniat, pleuritide, peripneumonia, vel à quocunque alio ſimili, quod coniunctum habeat, recurrendum non erit ad thermalis aquæ potum. Loquimur enim hic de ſputo ſanguinis, qui accidere ſolet apertis, aut reſeratis vaſis, ſiue rarefactis tunicis, vel exeſis, licet originem habere poſſit à capite, oeſophago ventriculo, meſenterio, & cæteris corporis partibus, quibus in caſibus habenda erit conſideratio partium ex proprijs ſignis, quæ paſſim à Doctoribus habentur, & ex excernendi modo, qualitate ſcilicet, ſubſtantia, corporis di-

Mercurialis quibus non proſunt.

ſpoſitione, &c. quæ omnia ſunt extra noſtrum inſtitutum, & tunc conſiderandum erit non ſolùm affecta pars, & ſanguis, qui fluit, an ſit cum aliquibus permixtis ſuccis; an cũ impetu fluat, & in quantitate, & copia, nec ne, & ſi corpus plenitudine ſcateat, & tunc conſiderandum eſt. An primo ſanguis ſit euacuandus, & an ſit per reuulſionem etiam minorandus; reuulſione ſcilicet euacuatiua, & deindè ſi ab illis ſuccis cum quibus expuitur, an ſit ab illis acribus ſalſis, aut mordacibus humoribus expurgandus, emundandus, & alijs perpenſis, quæ ad ſubitaneam illam curationem pertinent, vt in praxi methodica curatio à Medicis inſtituitur. His igitur annotatis quæritur. An aquæ thermales conueniant, temperant enim, roborant, & leuiter adſtringunt, vnde vaſorum dilatationem inhibent, rarefactionem cohibent, atque apertionem venarum deuitant, & tandem eroſionem impediunt.

Ex quibus affirmandum erit opportunum auxilium eſſe thermales aquas, præſertim verò ſi curatio præſeruatiua fuerit, quia præmiſſis vniuerſalibus medicamentis, reliquiæ morbi, quæ fuſæ per corpus remanſerunt tenues, feruidę, acres, mordaces, vel ſalſæ per aquæ prædictæ vſum moderatè incraſſabuntur, temperiem acquirent, & ſimul — *præſeruant à ſanguinis ſputo.*

per leuem quamdam adſtrictionem frenabuntur, vnde partes à quibus ſanguis exilit, roboratæ perſiſtent.

DISTINCTIO QVARTA.

De ſanguinis ſputo.

IOANNES CRISPO.

Hæmoptoici cognitio apud celebertimos Medicos, ac Galenum quoque adeò difficilis, & lubrica ſemper extitit, vt non ſemel deceptis Medicis ægrotantes obierint; vix enim affecta ſedes in quauis expuitione cruenta comprehenditur; dum tamen per os ſanguis expuitur, præſertim ſi vaſorum apertione, & eroſione contingat; thermalibus aquis præcipuè, quę blandè deſiccatoriam vim habent, ſuperfluum abſumitur excrementum, corpus, & eius partes, venæque omnes corrugantur, apertaque vaſa clauduntur, ſalſi abſterguntur humores, & cum reliquis euacuantur, & corpus obtemperatur; huiuſmodi ſunt aquæ Lucenſes, Villenſes, quibus Doctores ad præſeruandum in ſputo ſanguinis vtuntur. Nos ea, quem in Monaſterio S. Eliſabeth comperiri diximus, belliſſimè vtimur.

DI-

DISTINCTIO QVINTA.

An in Aſthmate conueniant.

ASthmate prætermiſſo, quod per eſſentiam eſſe dicitur, nec non eius paroxiſmo exhibito, quo tempore neceſſaria erit extraordinaria curatio, tantum hic quærimus, an pro curatione cauſæ ad effectum, quæ præſeruatiua dicitur, conuenire poſſit thermalium aquarum vſus. Prouenit vt plurimum aſthma à frigidis craſſis, ac uiſcidis humoribus aſperas pulmonis arterias obſtruentibus, & alias thoracis partes ad reſpirationem facientibus, vt vena eſt arterialis, arteria venalis, ſeptum tranſuerſum, &c. Harum partium obſtructiones, dum reſpirationem impediunt, aſthma producunt. Quando igitur per conſenſum accidit non vnicam cauſam mandantem habet, eo quod frigidi illi humores, & craſſi à toto corpore prouenire poſſunt, vt effluentibus à toto ſuperfluitatibus illis ad partes reſpirationi inſeruientes; quandoque vero prouenit à capite ad pectus humore deſcendente, & inde pulmonis meatus adſtringente, uel ita eas relaxante partes, vt præ relaxatione, ad reſpirationis motum redantur imbecilles. Quibus in caſibus

cer-

certum eſt, quod thermales aquæ in paroxiſmo non conueniant, cum expectorantia, & alia neceſſaria ſint auxilia, vt ſuo loco ſcribunt Auctores.

Curatio præſeruatiua.

Sermo igitur erit de aſthmate extra paroxiſmū, ut ægrotantes à paroxiſmis liberi ſint, & non in difficilem iterum incidant reſpirationem; & tunc de conſenſu partis erit inquirendum, an totum ſcilicet ſit, quod tranſmittit, & mandat; an aliquod viſcus, an partes inferiores, à quibus etiam eleuati flatus reſpirationis loca diſtendant, & reſpirandi motum impediant. Sic etiam & an ab hepate, liene, &c. quæ omnia ex peculiaribus affectarum partium ſignis innoteſcunt.

Curatio igitur eo tunc ab affectis partibus inchoanda erit. Quod ſi totum malè affectum fuerit, à toto primum erit auſpicanda curatio, ſeu curationis norma; quod ſi malum oriatur à plenitudine ſanguinis, ſaltem minorandus erit, & ſi opus fuerit iterum ſanguinis miſſione erit euacuandus, atque à pituitoſis ſuccis, vel humoribus per expurgationem emundandus, ſimiliter ſi à partibus alijs malè affectis malum oriatur, erit incumbendum ſimul, & ad illas, quia prędictis auxilijs, & opportunis inſtitutis non ità facilis tranſmiſſio, vel humorum effluxus erit ad thoracis partes. Quapropter ſi reſpirandi difficultas à ventriculo proueniat ob ſu-

Si malum à ventriculo.

per-

perfluitatum repletionem, à quibus eleuati flatus reſpirationis loca diſtendunt; & reſpirationis motus indè impediunt, non ſolùm medicamentis flatus erunt diſſoluendi; ſed etiam cauſa erit à ventriculo amouenda. Cum igitur hæc noſtra thermalis aqua nō ſolum flatus diſſoluat, ſed etiam ventriculum à craſſis viſcidis, atque pituitosis humoribus expurget, vt ſupra dictum eſt, erit conueniens illius vſus, quia cauſam omnem abſcindit, & demit.

Quod ſi à capite ſuperfluitates deſcenderint, erit pariter & eadem curatio, nam ex ſupradictis in deſtillatione proficere ſatis conſtare arbitror. Similiter etiam incumbendum erit, ſi propter aliarum partium conſenſum accidat aſthma, quod curanti Doctori relinquitur. *Si à capite*

Quod ſi à calidioribus membris, & ad calidũ intemperatis accidat reſpiratio difficilis, & maximè ſi ab hepate immodicè calente, ſeu feruente, fiat ad caput humorum euaporatio, qui in capite incraſſati in pituitoſos, ſeu crudos vertantur humores, atque degenerent; ad temperandum ſaltem hepar thermalis hęc aqua valet, & eadem erit ratio ſi proueniet aſthma propter multitudinem, & caloris copiam; tunc enim erit anhelatio magna frequens, & calida, & cum ſonitu expiratio; in quo caſu medicamenta valdè deſiccantia, & atte- *Si à calidis viſceribus.* *Exiccātia, & attenuātia nō procua.*

nuantia locum non habent; nam nimis deſiccatis, & attenuatis humoribus non ſolũ reſpiratio ſubſequitur difficilior, ſed etiam expuitio nulla; exceſſus caloris, qui eſt in humoribus eſt auferendus, nam dempto ſubiecto caloris, demitur & calor, & deindè vt reliquiæ auferantur, & membrũ, quod fuit ab humoribus ſupercalefactum, oportet, vt temperetur, & ideò conuenit huius aquæ thermalis vſus, & vt reliquiæ humoris expurgentur, & per vrinam, & aluum, & tandem vt membrum temperetur.

Sauanarola Sauanarola lib. 2. de balneis rub. 2. de canonibus obſeruandis, poſtquam de thermalibus ſcripſiſſet aquis, quæ non potantur, aſſerit de ijs, quæ potãtur. Fortaſſis inquit efficaciores ſunt, quæ bibuntur, vt ſunt illæ, quæ della Porrecta nominantur, nam empici, & aſthmatici abſque pulmonis vlcere laborantes ex potu aquæ Balnei iuuamentum magnum recipiunt. Eſt autem aqua della Porrecta ſecũdum eumdem Sauanarolam rub. 8. de balneis, aluminoſa, parum ſulphurea, & ſalem participãs, & nitrum, ſicuti & noſtræ, de quibus loquimur, quę ſicuti & illę ſoluunt aluum, & mouent vrinã. Addidit etiam ſupradictam aquam della Porrecta contra pectoris anguſtiam, & anhelitus difficultatem valere, nam Equi eam potantes ab aſthmate liberantur.

Ne-

Neque quidquam facit, ſi dicas eam della Porrecta aluminoſam etiam eſſe; quia ad ſulphuris naturam accedit alumen, & ſulphuris facultates habet ex eodem Sauanarola.

Sed dices, quomodo poterunt aquæ thermales in aſthmate proficere, quando neque materiam in thorace contentam expurgare valeant, & maximè per ventrem inferiorem eamdem materiam.

Dices, ſit in toto, vel in aliquo determinato viſcere cauſa antecedens, ne in thoracem aſcendat, valent aquæ thermales, quia & per vrinam, & per ventrem inferiorem euacuant, purgato tamen corpore (ſi opus erit ob copiam humorum in toto exiſtentium) nam ſi fuerit in primis vijs, vt in ventriculo, à quo etiam flatus eleuari ſolent, ſufficiens erit aqua per tres, aut quatuor dies epota modo, & norma, vt ſupra dictum eſt, per tres, & quatuor dies, ſcilicet quia non vnica vice ſunt expurgandi, & maximè ſi craſſi fuerint humores.

Aque thermales qua ratione proſunt

DISTINCTIO SEXTA.

An earum vſus in palpitatione cordis proficuus ſit.

NOn quęrimus de thermalium aquarum vſu, ſi palpitatio prouenerit à cordis intemperie, qua cor redditur imbecille, & tremulum; neque ſi acciderit ob ichoroſam, & aqueam ſubſtantiam, ſiue humiditatem accidentalem in capſula cordis detentam, ſed quęrimus de palpitatione cordis per conſenſum ſuperueniente; per conſẽſum minimè priuatiuum, ſed poſitiuum, recipiente ſcilicet corde id, quod recipere non deberet à parte mandante. Per conſenſum priuatiuum eſſet, V.G. ſi hepar non tranſmitteret conuenientem ſanguinis quantitatem pro cordis robore conuenientem, & neceſſariam, vnde ea deficiente cor redditur imbecille, tremulum, atque palpitans; ſic etiam accidit ob ſpirituum defectum, & inopiam; defertur non ſolùm ad cor ſpiritus vitalis, ſed etiam animalis ad muſculos thoracis pro dilatationis, & conſtrictionis motu conuenienti, quo deficiente, ſubſequitur cordis palpitatio, eo quod non recipit id, quod ſecundum naturalem exigentiam recipere deberet,

Dubitatio de palpitatione per conſenſum.

vnde

vnde orba ıni remanet, & dicitur palpitatio per conſenſum priuatiuum, de qua non loquimur, hæc enim appoſitione indiget. Quæ verò prouenit ab intemperie, cum hæc neque citò fiat, neque ſoluatur, alijs prius attendendum erit auxilijs; ſicuti & ea, quæ propter aqueam humiditatem in capſula cordis accidit, de qua videas practicantes; loquentes igitur de cordis palpitatione, quæ per poſitiuum conſenſum accidit, qui morbus dat inducias, & ſolet eſſe chronicus, & vere, & autumno ſuperuenire propter craſſos, acres humores, flatus, &c. in parte conſentiente; & à communicante parte tranſmiſſos ad cor, vnde palpitatio ſumit originem, notandam quod vnica non ſemper erit pars, quæ materiam tranſmittit; accidit aliquando cordis palpitatio propter ventriculum ſuperfluitatibus repletum, à quibus eleuati flatus palpitationem faciunt, à ſplene tranſmittente primum melancholicum humorem ad ventriculum; vnde melancholici flatus eleuati palpitationem inducunt. Similiter ab vtero propter euacuationes menſtruas diminutas, uel abolitas, ſeu propter ſeminis corruptionem, è quibus eleuati flatus cordis palpitationem, & ſaltum efficiunt, ita etiam & propter vermes, & alias cauſas.

palpitatio ab intemperie à capſula cordis

A ventriculo, à liene, &c.

Si igitur palpitatio acceſſerit ob humorum in

ven-

ventriculo congeſtionem, ſiue ventriculus ſit cauſa principalis, ſiue non, neceſſarium erit, vt ventriculus exoneretur, et temperetur, & multo magis ſi craſſi, viſcidi, & melancholici fuerint oportet; & tunc neceſſarius erit aquarum vſus, vt diximus de melancholia hypochondriaca. Sanguine tamen miſſo, prout expediens erit. Ita pariter ſi cordis tremor, ſaltus, ſiue palpitatio prouenerit à craſſa, viſcida, & flatulẽta materia in ſtomacho congeſta; os enim ſtomachi vulgari nomine dicitur cor, quæ palpitatio tactu facillimè dignoſcitur, pulſat enim, & palpitat; non erit aquarum denegandus vſus. Quod ſi ab vtero, vel alijs partibus, curatis ijs, ad aquarum potiones deuenire poſſumus; quę cordiales etiam dici poſſunt, eo quod ægritudinis cauſam deponunt, euacuant, corpus mundificant, flatuum eleuationes impediunt, temperant, roborant, & leuiter adſtringunt, & hac ſimili ratione dicuntur ab Auicenna cap. 9. de viribus cordis cordialia talia medicamenta, & ita dicuntur ſuccus cordialis roſarum in bilis, mirabulani in melancholiæ, & agaricus in pituitæ euacuatione, & melancholiæ. Quibus de cauſis Horatius Guarganti in conſilio pro Federico Contareno laudat aquas porretanas, quæ non ſolùm caput corroborant, oculorum ſanant infirmitatem, reſtituũt

Aqua quali conuenit palpitationi.

Aquæ thermales qua ratione cordiales.

Aquæ Porretanę facultates.

au-

auditum, ventriculum emundant, ventoſitates expellunt, ſed etiam quia maximè palpitationi opitulantur. Similiter obſeruandum erit, ſi ſaltus cordis, tremor, ſiue palpitatio cauſam habuerit à vẽtriculo propter humores ibi congeſtos, aut ab aliqua parte tranſmiſſos, qui non ſolùm erunt euacuandi, ſed etiam affectæ partes, & mandantes temperandæ, & roborandæ; vnde negligendæ non ſunt aquæ thermales, ſulphureæ præſertim, atque noſtrates, vt etiam extenuantes, exiccantes, euacuantes, temperantes, atque flatus diſſipantes, quales ſunt aquę prædictæ, vt ſupra dictum eſt.

Conferunt igitur, quia præſeruant ob cauſæ remotionem, & eamdem per diuerſionem aluum vacuant, aut per vrinam eo modo ebibitę, ſcilicet per tres, aut quatuor dies, vt dictum eſt ſupra. Neque diſpliceret, ſi his peractis per aliquos dies earum fuerit vſus, in pauca tamen quantitate aliquo medicamento cordiali præaſſumpto, vt eſſet confectio Alchermes, Diacynthum, &c. facerent enim etiam vt per venas, per quas tranſeunt cordis roborantia ad partem deferrent vt affectam, & vt vehiculum inſeruirent, & in alijs morbis. **Aquæ thermales qua de cauſa cõferunt.**

Accidit etiam ob ventriculi affectum, canina fames non agentes de ea, quæ propter reſtaurationem euenit, & propter corporis inanitionem; ſed **Ad caninã famem.**

de

de ea præſertim, quæ ob humoris melancholici effluxum ad os ſtomachi prouenit; vel alicuius humoris acetoſi, qui dictum os corrugans, & adſtringens, ſtomachi humidum exprimit, & exiccat, quo exiccato fames excitatur eo modo, quo prouenit fames ab oris venarum alimentum exigentibus à ſtomacho, vel accidit à vermibus non ſolum os ſtomachi irritantibus, & ſtimulantibus, & alimentum ſugentibus, vel etiam ab alijs ſimilibus cauſis euacuationes indicantibus, in quibus negligendus non erit earum vſus, quia melancholicis proderit affectibus, & melancholicorum, atque acetoſorum inde ſubſequetur euacuatio, & ſimul tādē cōferētia, & roborata, atque temperata mēbra inde remanebunt, atque & ad eorum generationem humorum non ita commoda, & expedita, & ita ſaltem per accidens auxilium pręſtabunt.

An pro vermibus. Petes hic an pro vermibus adminiſtrari poſſent aquæ predictæ. Pro qua re poſita vermium generationis cauſa, nempe calore vt efficiente, qui per viam putrefactionis incedit, non quidem vt ſimplex ſit putrefactio, ſeu corruptio, quia calor ille eſt ſpectata forma, quę educenda erit ex materia diſpoſita, viuificans eſt, & forma, quæ educitur eſt animalis viuentis forma, quorum aliqui vermes cucurbitini dicuntur ſeminibus cucurbitę ſimiles,

& in

& in inteſtinis generantur aliqui longi rotundi, & non ſolùm in inteſtinis, ſed etiam & in ſtomacho generantur, & aliqui tandem in ano minuti, tenues, ſicuti etiã qui in caſeo, vel in carne generantur, qui omnes ex calore illo, & materia diſpoſita naſcuntur.

Quibus poſitis petitioni reſpõderi poteſt, quod earum vſus conueniens eſt, non ſolùm ratione materiæ in ſtomacho, vel in inteſtinis exiſtente, quam euacuant, ſed etiam ratione caloris per viã putrefactionis agentis, quem obtundunt, & putrefactionem illam demunt ob ſulphuream vim, ſubſalſedinem quam habent, atque temperiem; & eſto quod aquæ vt ſic non proſint, vt aquæ tamen medicamentoſæ proſunt, eo quod in magna quãtitate potatæ per ſtomachum decurrentes, & inteſtina detergentes, & abluentes non ſolùm ſecum materiam deferunt, ſed etiam & vermes, qui tandem per ſeceſſum expelluntur; vt ego in quodam Hiſpano milite obſeruaui, qui ex aſſumptione prædictarum aquarum cucurbitinum vermem eiecit in fruſta, & in partes diuiſum, quæ partes ſi vnitæ fuiſſent, fuiſſent ad viginti palmos. Tribus diebus aſſumpſerat, vt mos eſt, cum præcedentibus ſyrupis ſolutiuis, vt ſupra dictum eſt, & ita pariter dicendum erit de alijs vermibus, quorum alij

Aqua thermalis pro vermibus.

Cucurbitini vermis hiſtoria.

qui ſi remanſerint medicamentis, erunt interficiẽdi paſſim à practicantibus deſcriptis.

Et tandem vt petenti curioſo cuidam ſatisfaciamus, an in immodico ſanguinis fluxu per hæmorrhoidum venas conueniunt? Dicimus ſicut fluxus ſanguinis moderatus à diuerſis morbis liberat, atque præſeruat; contra verò ſi ſuperfluus erit malum futurum ſignificat, & notat. Qua in re conſiderãdum erit, an ita immoderatè fluat, vt curatione indigeat extraordinaria, & ſi ita erit adſtringentibus vtendum erit, ne vires deficiant; poſſumus tamen cum auxilijs adſtringentibus, ſerapijs ſcilicet, pulueribus, electuarijs, aquam thermalem pro potu in pauca quantitate præbere; quia preter alias, de quibus ſupra facultatem etiam cum adſtrictione deſiccantem habet. Si uerò fluxus dabit inducias, & ita vt vereatur de futuro, pro præſeruatione conueniẽtes ſunt, & opportunæ aquæ predictę, ſumptę per tres, & quatuor dies, facta tamen prout oportuerit ſanguinis miſſione pro reuulſione saltem. Et deinde expurgato corpore, & ſanguine à ſpurcitijs vendicato medicamentis peccantes humores exhibitis, abſonum non erit ſi ad thermales confugiamus aquas, & in magna copia per duos, & tres dies, & cũ ſoluẽtis præcedentibus ad cauſæ morbificæ reliquias conterendas, mulcendas, obtundendas,

An in ſanguinis fluxu

dendas,

dendas, & totius corporis partes temperandas, atque corroborandas.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Vtrum ad cordis palpitationem, & orthopnæam conducat.

IOANNES CRISPO.

VIdendum nunc eſt an ad cordis palpitationẽ, & orthopnæam hæc noſtra conducere poſſit aqua; multa enim ſunt, quæ thermalium aquarum vſum in cordis palpitatione, & aſthmate dehortantur, & primum ſit argumentum. Illis affectibus hæc aqua eſſe poteſt auxilio, qui ab humoribus craſſis, pituitoſiſque procedunt. Sed palpitatio fit à ſanguine, vt patet ex Galeno lib. 5. de locis affectis cap. 2. vbi venæ ſectionem palpitantes iuuaſſe ſcripſit: igitur, &c. Dubitandi rationes. Prima.

Secundo illa medicamenta, quæ ſtomachum, inteſtina, renes, vretheres, ac veſicam expurgant, non poſſunt conferre morbis, qui ſunt in partibus ſpiritualibus, quibus medicamenta inſtituuntur, vt lambendo, & per longa interſtitia deglutiendo proficiant. Sed hæc aqua ſupra dictas partes tantũ Secunda.

S 2 ex-

expurgat, ergo, &c. imo quod magis in multa copia, & magna quantitate bibita pleno ſtomacho, & meſeraicis ſeptum tranſuerſum comprimitur, quo compreſſo detrimentum ſequitur, & maior ſpirandi difficultas.

Tertia. Tertio, ſponte naſcentes aquæ, quas calidas eſſe pronunciauimus, obſunt capiti ex libro 6. de ſanitate tuenda cap. 9. in fine. Sed aſthma, vt plurimum à capite emergit, ergo prodeſſe non poſſunt.

In oppoſitũ. Experientia tamen, authoritatibus, ac rationibus euidentiſſimè monſtrabimus aquam hanc ad palpitationem, & aſthma præſentaneum eſſe remedium. Ratio eſſe poteſt, quia omnis ferè palpitatio à frigido fit, vt à frigidis alimentis, & flatulentis, & alijs, quæ corpus refrigerare valent, vt Galenus lib. de tremore, & palpitatione cap. 5.

1. ratio. calida enim palpitationem tollunt, ſpiritus attenuant, & corpora mollia reddunt, & rara; Aqua verò hæc ſancta præſertim, quę ad prope Eccleſiā Sanctorum Coſmæ, & Damiani reperitur, cùm calida temperet, & ſubſalſa ſit, vt ſupra dictum eſt, palpitationi iuuamentum magnum præſtare poterit, & palpitantibus conferre. Si verò ſpuria erit palpitatio, hoc eſt à calido genita, tunc illam aquam propinabimus, quæ in Monaſterio San-

ctæ

ſtæ Eliſabethæ reperitur.

Nec deficiunt authoritates aquarum thermaliũ vſum confirmantes. Galenus enim lib. de palpitatione cit. cap. 5. probat aquas nitroſas, ſulphuratas, & bituminoſas, quas etiam veteres Medici commendarunt, & præter has etiam marinis vtebantur, quibus deficientibus muria vtendum eſſe dixerunt. Galenus.

Conducit etiam hæc aqua ad difficilem reſpirationem, & aſthma. Ratio eſt. Fit aſthma ex humoribus craſſis, viſcidis, atque tenacibus, pulmonis bronchia obſtruentibus, vt Galenus lib. 7. de compoſ. med. local. cap. 6. & lib. 6. de locis affect. & cap 6. & 3. aph. 26. quos humores abſtergere, & expurgare ſolet; & cum ſulphurea ſit ad reſpirandi anguſtiam commendari debet. 2. ratio.

Authoritate quoque omnium practicantium patet thermales aquas in aſthmate conuenire, quia non ſolùm facultatẽ habent exiccandi, abſtergendi, & abſumendi, ſed etiam (cum ingentèr calida non ſit) vim etiam habent euacuandi. Vnde humores craſſi, & viſcidi, qui adeò indurari, & exiccari ſolent, vt difficulter excernãtur, per aquam hanc abſterguntur aliquo modo, humectantur, vt facilius expellantur, & occaſione ſumpta caſum adducimus non pluries fortaſſis obſeruatum de 3. ratio.

quo-

quodam Nobiliſſimo orthopnea, & palpitatione laborante.

Caſus Don Mariani Vento.

Nobiliſſimus quidam Drepanenſis Baro Rhedæ benè valens, ac ſuas operationes perficiens ambulando, legendo, aut ſimilia perficiendo nil de quouis morbo cogitans, repente incidit in difficilem reſpirationem, quę dum grauis erat, cum tremore cordis procedebat, brachiorũ, & totius corporis ſudore non pauco; pulſu inæquali, vario aliquando intermittente, aut interciſo, ac cum animi defectione; cum verò mitis erat reſpiratio, difficilis cũ ſudore tantùm procedebat, & pauca in pulſibus mutatione; cum grauis eſt quartam horę partẽ non attingebat. Verùm pœnitùs libera reſpiratio nõ remanebat, ſi leuis patũ affligebatur, ſi grauis putabat ſe certo interiturum; finita acceſſione redibant pulſus ad ſtatum ferè naturalem; ſed neſcio quid veluti liberam reſpirationẽ prohibebat vſque ad futuram acceſſionem; non ita tamen frequẽter graui, ſicuti leui corripiebatur reſpirãdi difficultate, ſupra cibum facilè, faciliùs ſupra potum in difficilẽ reſpirationem incidebat. Numquam ex pulmonibus aliquid expuit in acceſſione, aut extra, tuſſis nulla, ſimilitèr & febris. Cum ſemel vini partẽ guſtaſſet, adeò difficultèr ſpirabat cum tremore, ac ſudore prædictis, vt vitam ferè perderet;

detet; & cum alias tantillum ardentis aquæ ſuprà linguam poſitæ (ſic amicis rogantibus (guſtaſſet, putabant enim affectum pendere à flatu) ſtatim Chameleonti animali ſimilis viſus fuit, diuerſos accipiens colores; res certè admiratione digna, quæ calamo, aut verbis explicari nequit; viuunt omnes, qui fuere præſentes; cum manus aqua calida madefaceret, eodem affectu ſe corripi ſenſiebat, vt ſtatim lotionem illam demittere cogeretur. Neque noctu in lecto quieſcebat calido, affectus enim ſtatim inſurgebat à frigidis cibis, & potibus, ac vētis nocumentum ſenſiebat; & hæc eſt hiſtoria fideliter recitata.

Vt autem aliquid attingamus de prædicta hiſtoria, recurrendum erit ad Galenum de methodo medendi; quod primo conſideranda ſit actio læſa, & pars indè affecta; & an per eſſentiam patiatur, an per conſenſum, nec non videndus qualis ſit morbus, vt indè cauſas inueſtigare valeamus, & relictis alijs in caſu prædicto, læſa eſt reſpiratio ſine febre; læſæ partes pulmonis erant, obſtructis aliquo modo pulmonum arterijs. Verùm ſuperueniente flatu eoque craſſo, & repente, ſtatim ſuccedebat reſpiratio difficilis; in arterijs tamē aſperis pulmonis ſēper aliqualis obſtructio remanebat, quę liberam reſpirationē prohiberet. At quod inuadat

Cauſæ difficilis reſpirationis

ino-

inopinatè, & quod breui temporis ſpatio adeò difficulter laboret, vt ferè moriatur æger. Probabile eſt id fieri à craſſo flatu ſuper adducto, & ſuperueniente aſperarum arteriarũ obſtructione, quo tempore omnimoda quaſi erat earũ obſtructio, vnde ſudores, atque tremores accedebãt. Diſſipato tamen, conſumptoque flatu ad priſtinum ſtatum reddebat, non tamen liberã habens reſpirationem, vt dictum eſt.

Aut dicendum, quod ille flatus ſuperueniens aſperarum obſtructioni, vnde manuum tremores, lotiones calidę, & alia calida concitabant affectum à venenata cauſa fuerint emergentia ? quæ auræ nomine Galenus lib. de præcognitione ad Poſthumum appellatur, vt in puero, quæ aſcendebat à pede, ſenſimque in caput repens, confeſtim conuulſionem excitabat, & hæc citò fiebat, citòque deſinebat; ſic etiam & in hyſtericis affectionibus obſeruatur, quæ à tetro, ferinoque vapore procedit, vt 6. de locis affectis cap. 5. & in hoc caſu fortaſſis à praua victus ratione proceſſit.

An dicendum, quod non ab vnica tantũ cauſa proueniebat, ſed pręter in aſperis obſtructionẽ à craſſis, & viſcidis humoribus tuberculum eſſet, aut flatus ſuperueniens. Contingit enim in hoc affectu multum ſugeri calidum vaporem, ſeu ſpiritum

ritum à corde, vel aliundè, & in aſperis arterijs comprimi, & per compreſſionem, & anguſtiam difficilis reſpiratio ſubſequitur.

Augetur à cibo, vel potu prędictus affectus, eo quod multum externi aeris ingreditur, & ingreſſus aer thoracem, ſpiritum ibi contentum, ſeu flatum comprimit, & per compreſſionem accidit reſpirandi difficultas. Obſtructionem in aſperis reperiri ſignificat quod finita acceſſione remanet ſẽper id, quod liberam reſpirationem prohibet. Cur à cibo & potu.

Pro præſeruatione multa inſtituta fuerunt auxilia. Ius tamen Galli antiqui ad formam ſyrupi leuamen illi non mediocre attulit hoc modo. Recipe Gallum antiquum, & abiectis interaneis parum ſalis conijcies, in cuius ventre ponantur medullæ carthami vnc. ſem. turbith albi, & gummoſi draem. iij. hyſſopi ſiccę, epithimi, & Mercurialis ana p. ij. ſemin. fæniculi p. j. coquantur omnia ad perfectam Galli coctionem, deinde fiat colatura, & cum paſſulis enucleatis, fænu græco mundo, & loto fiat ſyrupus cum zucc. cuius vnc. ij. ſingulis diebus mane ieiuno corpore aſſumpſit. Ius Galli.

Ac tandẽ vſu aquæ ſanctæ euaſit, exiccati enim fuere humores in aſperis, & abſumpti ob vim, quã habet etiã exiccantem, atque roborantem; & propter eorum conſumptionem humorum, extinctus Aquę ſanctæ vſus.

I quo-

quoque fuit ab ea focus, & fodina, à quibus eleuabatur aura illa venenata, quæ ad pulmonis meatus aſcendens ſpiritum, & reſpirationem impediebat.

Reſtat vt argumentis in contrarium adductis reſpondeamus, & ad primum dicimus, quod vera palpitatio, atque legitima fit à materia frigida, ſed notha, & ſpuria poteſt à calido fieri, licet viri clariſſimi non deſint, qui velint palpitationem quamlibet fieri à calido, & frigido, quorum ſententiam minimè reprobamus, inhæremus, tamen Galeni verbis in lib. de palpitatione cap. 5. cum inquit (palpitationis ſanè cuiuslibet *ex* frigido generatio eſt) qua ratione Galenus loc. cit. thermales aquas ad palpitationem inſtituit. Quod ſi aliquando venæ ſectio palpitātibus iuuaſſe ſcribat lib. 1. de locis affec. cap. 2. id dicendum rarò contingere, aut quod de notha, ſpuriaque palpitatione intelligat.

Soluuntur rationes in oppoſitum.

Spuria palpitatio à calido.

Ad ſecundum dicimus verum eſſe hanc aquam expurgare partes illas potiſſimum è ſtomacho infra, non tamen dicendum affectibus capitis non prodeſſe. In aſthmate tamen probantur aquæ thermales, quia pulmonis partes ingrediuntur, dum eas ſumma doſi calidas paulatim quaſi lambendo, bibuntur, & ita bibitæ, partes pulmonis ab humoribus craſſis abſtergunt, & humectati humores faciliùs *ex*puuntur, & ſi quę erit ſepti tranſuerſi compreſſio euaneſcet.

Aquę thermales penetrant ad pulmonis partes.

Ad

Ad tertium reſpondemus, Galenum 6. de ſan. tuen. loquutum fuiſſe de aquis ſumptis exterius pro balneo, & affecto capite intemperie calida, quo caſu probat balneum aquę potabilis, ſed nos loquimur per interius deaſſumptis aquis, & tếperatis, quæ in calidis etiam affectibus propinari poſſunt; & capite læſo præbemus aquas exhibitis prius ſyr. ſol. vnc. ij. cęteris tamen præcedentibus, vt ſupra. Aſthma verò ex Galeno à craſſis humoribus viſcidis, atque tenacibus fit, quos aquę noſtræ thermales abſtergere, abſumere, & expurgare poſſunt.

SECTIO QVINTA.

De earum vſu in vteri affectionibus, & ani.

DISTINCTIO PRIMA.

Aquarum thermalium vſus an ſit in affectibus vteri proficuus.

HOratius Augenius de morbis mulierũ lib.4. Lucenſes, & Patauinas concedit aquas, vt congruas, & mirificè menſtrua prouocantes, ſic & pro conceptione in Matrona Sicula tom.4.con- Ex Horat. Augenio menſtrua prouocãt, & conceptionem adiuuant.

fil. ad hoc vt ſuperflua vteri exiccetur humiditas; deſiccant enim Aquæ Tectuccianę moderatè, & ita etiam calefaciunt, atque corroborant vterum, & aquarianas pro euitando abortum commendat, & eodem tomo pro lue venerea, ac inchoante hydrope Spadenſes confirmat aquas, & rationem aſſignat, eo quod ſubſalſę ſunt, calorificæ, & deſiccatoriæ, talem vim habentes, vt partes omnes per quas tranſeunt, abſque aliarum lęſione deſiccent, calefaciant, atque corroborent, & interdum humores ſecum in corpore exiſtentes, ſeu cauſam educant.

Pro vitãdo abortu pro lue venerea pro hydrope.

Obiectio. Sed hæc Augenij ratio difficultatem parit, cum dicat id habere, videlic. partes omnes, per quas trãſeunt abſque aliarum læſione, deſiccare, & calefacere non poſſe, ac ſi eſſent agentes ex electione.

Solutio. Verùm ſi res intimius conſideretur difficultas nulla erit, ſi ſupponatur, quod aquæ temperatæ ſint, & earum facultas ſit ad intemperatas corporis partes, per quas tranſeunt; ergo partes temperatas non alterant, neque earum temperiem amouent, ſed firmant; intemperatas tamen reducunt ad temperiem. Vnde ſi partes erunt ad frigidum intemperatæ, eas ad propriam dum reducunt temperiem, ſuperfluam frigiditatem per calefactionem

mo-

Digitized by Google

moderatam obtundunt, & eodem modo ſi partes fuerint excalefactę refrigerant, & per leuem quamdam adſtrictionem, quam habent, corroborant, & ſic de alijs intemperaturis.

Multa etiam ſcripſit Vidus Vidius Senior de his thermalibus aquis pro vteri affectibus, nam de curatione membratim lib. 2. cap. 2. contra vteri prolapſum poſt alia medicamenta inſtituta ſcripſit ita. Quam pariter vim, ac ſatis efficacem ſæpiùs, ac ſatis liberalitèr repetitus potus aquarum thermalium vim ſalis, ac ſulphuris habentium, & potiſſimum Tectuccianæ, ac Porrectanæ, quæ in huiuſmodi affectu pro pulſando ſumma cum vtilitate vbique adhibentur, detergunt ſiquidem iſtæ, ac repurgant talium partium humores, ſeu mucores, atque eorumdem immodicum humoris exceſſum ſiccant, & corrigunt; quæ tamen præſidia non ſunt tentanda, niſi poſt opportunam totius corporis purgationem premiſſam, & vbi accedat aptum anni tempus, & conueniens cœli ſtatus, &c. Vidus Vidius pro vteri prolapſu.

Et idem Vidus pro vteri ſuffocatione, de vteri ſuffocatione cap. 21. eiuſdem lib. Egregiam, inquit, vim habent aquæ thermales ad plures dies ſatis liberaliter, vt moris eſt; epotæ, quæ ſalis, aluminis, ac etiam vna ſimul ſulphuris vim habent, vt coniunctam, cuiuſmodi potiſſimum ſunt aquę Pro vteri ſuffocatione.

Te-

Tectuccianæ, veluti & Porrectanæ, quarum ſi par copia detur, exhibeatur prius Tectucciana per tres, & quatuor vices, vtpotè quæ aluum magis egregiè ſoluat, & communes ductus magis exactiùs à quibuſcunque ſuperfluitatibus expurget, deindè exhibeatur Porrectana, quę intimiora vſque vteri partes meliùs abluit, atque ſimul tale viſcus confirmat, nè tam facilè poſt hac in idem malum compellatur.

Has Vidus Vidius iunior pro menſibus inordinatè fluentibus ob humorum acrimoniam eodem libro cap. 27. aquas proponit acrimonia deſtitutas, & peculiariter ſi ferri multam habeant facultatem, poſt corporis expurgationem tamen etiam repetitam, ſi opus fuerit, vt humorum acrimonia remittatur, & viſcerum internorum, ac etiam vt calor immodicus temperatur, ad hoc, vt vno, eodemque tempore noua acrium humorum contractio prohibeatur, & qui contracti fuerint, tales reddantur, vt non ante tempus ſtimulent, & naturam irritent ad menſtruas purgationes, & etiam vt vteri retentricem facultatem confirment; tales ſũt aquæ Villenſes in agro Lucenſi, Borrenſes, & ſimiles, quæ præter quod addunt robur canalium laxitatẽ auferunt.

Et tandem in muliebri profluuio curando cap. 29.

29. ſic habet. Cœterum ad inconcoctam, pituitoſamque, & valdè dilutam ſupefluitatem, quæ plerumque muliebre profluuium concitat, & aſſiduè fouet, ad aluum faciunt expurgandam, ſeu etiam deriuãdam, vt vix aptiùs præſtare efficacius, ac citiùs præſidium excogitari non poſſit, quàm aqua Tectucciana, quæ poſt vniuerſales totius corporis ſæpiùs iteratas purgationes ad octo, ſiue decem, aut duodecim libras moderatè calida potanda exhibeatur adijciendo, vt moris eſt, primis duobus ciathis parùm ſalis, ſeu mellis roſati laxatiui, cuius aquæ potus alternis diebus repetatur, dieque intermedio, in quo mulieres à potu aquæ abſtinent, infundatur in earum aluum enema paratum ex eadem aqua magis ſalita, in qua diſſoluta fuerint Mercurialis, &c. ad hoc vt magis è locis mulieribus ad aluum fiat diuerſio, & vteri partes roborentur, firmentur, & ſimul excrementorum collectio prohibeatur. Neque pro his tantum, ſed etiam alijs vteri affectibus, ac etiam morbis, vt ab ortu præſeruando, ſeminis retentione, & alijs. Pro mulie-bri proflu-uio. Pro abortu

Mercurialis tom. 4. conſil. & reſponſ. med. conſilio pro nobili fœmina poſtremis menſibus abortiente ſcripſit in hunc modum. Poſt vniuerſales corporis purgationes, & iteratas euacuationes, non eo tempore, quo iam vtero gerit, ſed quando, Mercurial. pro abortu

do,

do, vt concipiat, deſideratur, tunc, inquit, opportunum eſſe Tectuccianarũ vſum diebus quinque, & aquarianarum decem, &c.

Cur iuuẽt. Conferunt aquæ prædictæ in vteri affectibus, quia venas pertranſeunt, vrinas mouent, &c. & per venas vtero ſuas communicant vires, & facultates, menſes adſtringunt immodicos, quia cauſam etiam & per vrinam expellunt, & vterum etiam corroborant, nè facilè ſuperfluitates illas menſes immodicè fluere facientes accipiant, & hac de cauſa abortum impediunt, vias aperiunt, penetrant, & menſes prouocant, & multos alios effectus cauſant etiam oppoſitos agentibus aquis, ſiue per qualitates manifeſtas primas, ſecundas, aut occultas inſurgentes etiam ex mixtionis modo, qui reſultat ex exhalationibus, & vaporibus è mineris è quibus inſurgunt, uel per quas proſiliunt, & currunt, & propter has cauſas varios, eosque contrarios producunt effectus, aut per ſe, aut per accidens; & tandem dicendum eſt cum Mercuriali eodem tom. 4. conſil. 23. de natura balneorum Lu-

Oribaſius. cenſium, vt dicere ſolebat Oribaſius, quod huiuſmodi aquarum vires potius obſeruatione quadam, ac longa experientia, quàm diſcurſu, aut ratione prænoſci conſueuerunt.

Sed quis dicere poſſet. Verum eſſe, quod dictum

eſt

Digitized by Google

eſt de ſupradictis aquis Lucenſibus, Patauinis, Tectuccianis, Porretanis, Aquarianis, & ſimilibus. Hinc autem non ſequitur ergo ad tales etiam vteri affectus ſimiliter valent, & hæ noſtræ aquæ, de quibus loquimur. Sed ſi diſcurramus per earum qualitates, vnde vires, & facultates aſſumunt, non erit difficilis reſponſio. Nam aquę prædictæ quantum ad ſaporem ſubſalſæ ſunt, vires ſulphureas habent, nitroſæ ſcaturiunt è minera argentea, proueniunt è ſublimi, è ſaxis, & laſtricoſis Montis partibus, participant de ſale, & ſunt propè mare, & ſalinas vt Porretanę, & ſi laudantur eo quod è minera ferri perueniunt, hę de quibus agimus è minera argentea proueniunt, quæ ferri minera melior eſt; Lucenſes primum caliditatis gradum, vel non attingunt, vel non excedunt. Neque diſſimiles ſunt aquæ Virginis Montis Octoni, temperatę ſunt. In his omnibus non diſſimiles ſunt aquæ, de quibus loquimur, & hæc dicta ſunt, quo ad qualitates primas, vel ſecundas ſenſibiles. **Comparatur aquæ noſtræ cũ alijs.**

Cæterum verò quantum pertinet ad occultas vires, quę ex mixtione proueniunt, certò ſcimus, & multis obſeruationibus, ac experientijs confirmatum eſſe, quod obſtructis, nephriticis, calculoſis, hypochondriacis, & alijs, de quibus ſupra dictum eſt conueniant, ſicuti & in vteri affectibus;

ergo & à pari ſicuti & illæ proſunt, ita & hæ noſtræ thermales aquæ, relictis obſeruationibus, conferunt vt eaſdem qualitates habentes, & fortaſſe potiores, vnde rationes deficere non videntur per quas earum vires prænoſci non poſſint.

Pro faciliori eorum, quæ dicta ſunt notitia notanda eſt differentia inter muliebrem ſanguinis fluxum ex vteri venis, & inter fluxum ex venis hæmorrhoidum accidentem, fluxus ex venis vteri propriè à natura prouenit, ad hoc vt per fluxus expellatur ſanguis non ſolùm pro indiuidui, ſed etiam pro ſpeciei conſeruatione; & venæ illæ naturaliter aperiuntur, & occluduntur, & ſanguinis fluxus eſt ſecundum mulieris naturam modicus, vel naturaliter immodicus. Mulier enim ſana complexione calida, & humida habens ſanguinis multitudinem, & copiam, plus ſanguinis habet, quàm illa, quæ non erit ſimilis conditionis, benè etiam operante natura, quia ſuperfluum euacuatur; & euacuatione facta fluxus adſtringitur, & periodice accidit, & cum ordine, & vt plurimum ad Lunę motiones ſic dicitur:

Differentię inter fluxũ ex vtero, & hæmorrhodibus.

Luna vetus vetulas, iuuenes noua Luna repurgat.

Quod ſi perpenſis his ſanguis erit immodicus, & qui fluit ſuperfluus, vel inordinatè fluat, & tempore

re indebito; non ſolùm inquirendæ ſunt cauſæ, ſed etiam mulieris ſtatus cõſiderandus, & an morboſum ſit corpus, & an ſi ſanguis ille proueniat ex vteri vaſis, an ex venis ſuperioribus, minoribus, ſiue maioribus, nec ne, an propter ſanguinis tenuioris vitium, vel ſeroſiorum humorum miſcelam, & etiam craſſorum, maximè ſi menſes inordinatè fluant, tunc enim ab ijs ſumendæ ſunt indicationes, aut ſanguinem mittendi, nec non & euacuandi, vt ab illis excrementijs humoribus mundificetur, & purificetur ſanguis. Neque ſubito adſtringendus eſt ſanguis ex toto, ſed moderatè ſinendus, ne ità ſuppreſſus malum faciat; ſtatim verò ſupprimendus erit, ſi immodicè fluxerit: nam per fluxum natura ſuccumbit, ſi fuerit immodicus, & ſupra vires.

Quibus perpenſis, & ſi opus fuerit vniuerſali facta expurgatione deuenire poſſumus ad Thermalium aquarum vſum, & noſtratum, quæ non ſolùm euacuant ſeroſas, tenues, atque craſſas ſuperfluitates, sed facta purgatione partes temperant, roborant, & adſtringunt, & ſi velimus omninò comprimere fluxum, detur aqua in pauca quantitate præmiſſo medicamento adſtringente, vt ſupra. Ratio quã conferre dicantur aquæ.

Ex quibus poterit vnuſquiſque deducere, &

præter rationem etiam cauſam aſſignare, cur diuerſos, eoſque contrarios producant effectus, ſi ad mineram, & fodinam argenteam etiam reducuntur cauſæ, & ad permiſſionis modum, vt ſupra, & ita ſiue per ſe, ſiue per accidens, ſiue in magna copia ebibitæ, ſiue in pauca adſtringunt, aperiunt, &c.

Mercurialis pro diminutis mẽſibus, & albis.

Pari ratione, & cauſa pro diminutis menſibus Mercurialis tom. 3. epiſt. & conſul. med. pro mẽſtruis albis Tectuccianas laudat aquas per tres dies, vt moris eſt, & poſt Tectuccianarum aquarum vſum laudat & Aquarianas, & has in mulieribus calidioribus; at ſi hepar non erit calidum, non laudat aquas Ficoncellæ, ne ſerum ab illis augeatur aquis: Idem confirmat lib. 4. de morbis mulierum cap. 1. de menſtruorum defectu, vbi ſic habet. Inter medicamenta, quæ per os aſſumuntur, poteſtis etiam apponere thermales aquas, quarum multæ reperiuntur, quæ menſtrua prouocant, vt ſunt aquæ Patauinæ, Lucenſes, quas non ſemel expertus ſum mirificè prouocare retentos mẽſes. Aquarianæ idem prçſtant, &c. & ratio ſuadet, quia mouent vrinam, ita etiam Ioannes Colle in ſuis epiſt. & conſult. Pro Eliſabeth Verdini menſium diminutionem patiente Tectuccianas commendat aquas.

Ioa. Colle.

Ex

Ex quibus facilè poſſumus approbare electionem harum noſtrarum aquarum, ſpectatis prius corporis habitu, temperie, ætate, tempore, & alijs, & an ſit eligenda, quę apud Eccleſiám Sanctorum Coſmæ, & Damiani, an verò, quæ in Monaſterio Sanctæ Eliſabeth; cum earum facultates ex dictis ſatis manifeſtæ ſint, & hæ factis vniuerſalibus, & ſanguine miſſo, conuenientius, & magis opportunum præſtabunt auxilium.

DISTINCTIO SECVNDA.

Differentia inter menſtruorum, & hæmorrhoidum fluxum.

ACcidit ijs, qui fluxum patiuntur hæmorrhoidum, vt ſtatutis temporibus, & periodice ſanguis effluat, & expellatur; ita pariter & in menſtruis purgationibus, & ſicuti in illis facta euacuatione ceſſant, ita & in mulieribus, & ita pariter ſicut in illis immodicè fluunt aliquando, ita & in his, & ſicuti in illis conuenienter ſi effluāt, à morbis præſeruāt; & ſi immodicè morboſam ſignificant affectionem, ita pariter in his, & tandem ſicuti in illis qualitate, & quantitate ſanguis peccare poteſt, ita & in his. Comparātur fluxus.

Diffe-

Et in quibus differant.

Differentia tamen eſt, quia in mulieribus venæ illæ è quibus ſanguis expellitur, ſunt à natura conſtructæ, vt ſeipſis aperiantur, & ſanguine euacuato occludantur. Sunt à natura conſtructæ propter conſeruationem ſpeciei, vt fœtus in vtero nutriretur, neceſſarium ergo fuit vt copioſior eſſet in muliere, ad hoc vt ipſa, & fœtus nutriri poſſit, & quoniam geſtationis tempore eſt neceſſarius, alijs verò temporibus cum ſuperabundet, natura copiã illam ſanguinis per menſtruas purgationes imminuit. Hæmorrhoidum verò fluxus ſemper eſt ad minus non naturalis, cum poſſit etiam eſſe præter naturam, & maximè ſi malam qualitatem habeat, vel craſſus ſit ſanguis fęculentus, ſeroſus, bilioſus, &c. & à partibus productus intemperatis, vt liene, hepate, & alijs corporis partibus intemperatis, & malè affectis, quæ multos generant humores, & ad hæmorrhoidum venas expellunt. Benè tamen operatur natura, dum noxia expellit. Malum tamen inſurgit, quia vitium in corpore ſupponit, & vnitatis venarum ſolutionem. Vnde fluxus hæmorrhoidum poterit accidens eſſe, ſympthoma, vel morbi cauſa, prçſertim ſi plus iuſto quam oportuerat fuerit illa ſanguinis euacuatio, relinquet enim in corpore vitium aliquod. Secus in non morboſa muliere, cui datum eſt, vt per

men-

Digitized by Google

menſtruas purgationes non ſolùm ipſa à ſanguinis multitudine ſe exoneret, ſed etiam vt ſufficiat ſanguis ſuperfluus ad fœtum in vtero ſuo tempore nutriendum, & ideò in fœminis ſanguis ſuperabundans, luxuriat etiam ſi non vtero gerant, & nullum vitium ſignificet; eſt enim eiuſdem conditionis ſanguis; qui per menſes excernitur, ac ille quo fœtus in vtero nutritur, dummodo mulier ſanitate gaudeat; ſanguis igitur, qui per hæmorrhoïdum venas expellitur, qualitate potiùs peccat, & naturam ad euacuationem irritat ita, vt immoderata ſit aliquando, & ſicuti moderata permittenda erit, immoderata verò niſi ob vitium lapſum, non ſtatim cohibenda erit, niſi priùs totius corporis, & eius partium conſideratione facta, & an diuerſiones, deriuationes, vel totius corporis euacuationes ſint neceſſariç.

Accidit tamen aliquando vt vitioſo ſanguine repletę venæ ſanguinem non emittant, & indè venę repletæ tumeant, & doleant ob ſanguinis craſſioris copiam, & aſfluxum, vel propter partis diſtenſionem; dolent etiam & aliquando, quia noxius ille ſanguis ad carnea etiam ſpatia reſudat, & cum nulla ſit ſanguinis euacuatio, cæcæ dicuntur hæmorrhoides. Qua propter ſi ad cauſas recurrere voluerimus, aut auferatur effectus, reſpiciendæ

Dolores hæmmorrhoidum vnde.

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, & conſiderandæ partes intemperatæ, quę cauſam materialem producunt, & ad illas venas tranſmittunt; nec non & ſanguinis ſpurcitię erunt attendendæ; & ita conſideranda erit partis intemperies, & noxia illa cauſa, quæ effluit, an per aluũ euacuanda erit, aut per vrinam? V. G. & relictis indicationibus, quæ ad ſanguinis miſſionem faciunt, & de ſanguinis miſſionibus. Deindè practicantes ad ſanguinem è ſpurcitijs emundandum leuibus medicamentis vtuntur, vt caſſia, diacathol. ſyr. roſ. ſol. & ſimilibus, cum mirabolanis. Nos ſi opus fuerit corpore euacuato prædictis poſſumus vti thermalibus aquis, & in magna copia, vt ſupra dictum eſt, & in pauca quantitate; in magna copia, ſi corpus expurgare velimus cum præmiſſo ſolutiuo, vt ſupra dictum eſt: non ſolũ enim euacuabitur cauſa ſanguis tenuior, & calidior temperabitur, imò neque fluidior remanebit, quia cauſa erit amota, & quod magis partium, & totius intemperies decrementum ſuſcipiet, & viſcera cum adſtrictione quadam robur acquirent; habent enim vim ſoluendi, & adſtringendi, ſicuti mirabolani.

Aquę thermales vt ſoluant.

Si verò intentio erit, ſeu ſcopus adſtringendi dumtaxat, præmiſſis ſyrupis, vel alijs medicamentis adſtringentibus dentur aquę in pauca quantitate; vt in dyſenteria, & morbis alijs ſimilibus: Si verò

Aquę thermales, vt adſtringāt.

cæcæ fuerint hęmorrhoides tumentes, ſcilicet dolentes; an debeant aperiri? non eſt huius loci aliquid affirmare, ſolum enim dicimus, quod pro præſeruatione, ne iterum caſus adueniat, maximè in aſſuetis, ne craſſus humor cùm ſanguine etiam ſeroſo in venas illas irruat, tumores efficiat, & dolorem, tutò propter ſupradictas rationes his vti poſſumus aquis ad præſeruandum.

Vnum hac in re notandum exiſtimaui, quod non omnes hæmorrhoides à ſanguine ſolùm melancholico, frigido, & ſicco, ac fœculento proueniant, quin poſſint à bilioſo, ſeroſo, atque pituitoſo humore prouenire, ſic etiam, & ab aduſto redundante ſanguine. Vnde poterit ſanguis à vena caua, & à venis mæſaraicis exilire, & ad illas hæmorrhoidum venas effluere, & tunc inſignes plerumque, & maiores erunt ab illis venis ſanguinis effuſiones, quibus notatis facilior erit reſolutio de prædictarum aquarum adminiſtratione, eò quod ſatis obſeruatum eſt, quantum valeant ad ſanguinis emundationem, & per diuerſionem, & euacuationem, nec non & ad partium intemperaturas emendandas, & corrigendas, vel ſanguinem ad effuſionem paratum attemperandum, & maximè ſi calidior fuerit, vt in noſtro climate præſertim. hæmorrhoidum nõ ſẽper à ſãguine melancholico.

DISTINCTIO TERTIA.

An in vteri ſuffocatione conueniant.

Mercurial

MErcurialis lib. 4. de morbis mulierum, cap. de vteri præfocatione, poſt vniuerſalem corporis expurgationem, & ſanguinis mundificationem, ac alia prædicta, & exhibita medicamenta, concluſit, duo eſſe præſtantiſſima medicamẽta pro vteri ſuffocatione; primum eſſe dixit thermalium aquarum vſum, tàm in potione, quàm in infuſione, vt ſunt Aponenſes, aquę Aquarianæ, & Lucenſes, ſecundum verò cautè earum vſum; ita etiam Sennertus ſulphureas in hoc affectu prodeſſe ſcripſit aquas, eò quod in præfocatione laxatur vterus, & non in proprio ſitu remanet, item conſiſtit etiam vteri præfocatio in partium ſpiritualium anguſtia, vnde difficilis reſpiratio accidit, vt mulier ſtrangulari ſenſiatur, & quamplurimi aſſerunt eſſe poſitum hunc morbum in vteri ſitu malè compoſito, & recurſu ad partes ſuperiores, per quem ſeptum tranſuerſum comprimitur, & ita vt reſpiratio difficilis ſit; Alij verò dixerunt eſſe morbum in numero aucto, alij verò cordis affectum, & alij alia, quæ non faciunt ad rem hanc.

Sennertus laudat ſulphureas aquas.

Cauſæ præfocationis vteri reduci ſolent ad ſemen, vel ſanguinem menſtruum corruptum, & etiam ad flatus ex Hypp. 7. epid. dum inquit, plurimę hyſtericarum paſſionum flatus, &c. qui in repletis vteri venis incluſi vterum ſubleuant, & in proprio ſitu manere non permittunt. Sunt humores, qui in venis reperiuntur putridi, malæ qualitatis, & venenatæ, ſimiliter è corrupto ſemine, ſiue ſanguine menſtruo corrupto, & retento, à quibus eleuati vapores reditur reſpiratio difficilis, & alia contingunt accidentia, vt conuulſiui motus, epilepſiæ, de quibus Doctores conſulere poſſumus; imò tantæ venenoſitatis ſolent eſſe vapores illi, vt calorem naturalem ita obtundant, vt mulier quaſi mortua obſeruetur ſine pulſu, ſine reſpiratione, eò quod neceſſaria non ſit prę qualitate illa venefica totum corpus refrigerante reſpiratio, ſed tranſpiratio, quę cauſa poteſt per aliquod tempus in corpore deliteſcere. Vteri præfocationis cauſæ.

Quo poſito non quæritur hic, an in paroxiſmi tempore ſit aquarum conueniens vſus; nec in illis mulieribus alijs morbis obnoxijs, & malè affectis; deberent enim ante aquarum vſum à morbis curari. Sed de illis, quæ periodicè patiuntur has hyſtericas paſſiones, cæterum benè valentibus robuſtis multo ſanguine præditis, &c.

Digitized by Google

poterunt aquæ prædictæ, quando ſemen eſt corruptum. Dicas duplici ex cauſa primo, vt dictum eſt, dum vrinam mouent, etiam per ſeminaria vaſa pertranſeunt aquæ, & per vrinam illud euacuāt. Secundo, quia ſemen etiam ſignificat totius corporis humores (& ſi ſola ſuperfluitas ſit in membris ſpermaticis) quia commune eſt totius corporis alimentum vſque ad tempus proximum, quo ſemen conficitur; & coagulatur ex ſanguine, qui poſtea in ſemen conuertitur. Vnde dum ſanguinē aquæ purificant, viſcera temperant, & roborant, conſequenter ab vteri præfocatione præſeruant. Semini corrupto proſunt.

Quæ omnia confirmari etiam poſſunt authoritate Vidi Vidij, qui capite de vteri præfocatione Tectuccianas, & Porretanas commendat aquas, ſi ad plures dies ſatis liberaliter, vt moris eſt, potentur; quia ſalis, aluminis, & ſulphuris vim habent coniunctam, quæ omnes vteri partes etiam intimiores melius abluunt, viſcus confirmant, corrigunt, & vteri frigidam emendant etiam intemperiem. Vid. Vid.

Sed videtur obſtare Fallopius lib. de thermalibus aquis, vbi ſic habet. De vtero quidem ſum aliquantulum ambiguus. An aquæ in potum acceptę iuuent vterum per ſe, nec ne. Scio quidem cum vterus patitur ratione excrementorum redun- Fallopius.

dan-

dantium in ventriculo, & inteſtinis, potus aquarum thermalium iuuat ipſum recidendo cauſam, ſimiliter quando patitur excretionem menſtruorum alborum, vel præſocationem, menſium pariter fluxum, quando menſes ſunt copioſi, hæ aquę in potu iuuant, quia corpus conguſtant, venas, & viſcera roborant, ſed quando vterus eſt nimis humectatus, hoc mihi videtur ambiguum, quomodo iuuetur potu medicatarum aquarum. Dicit igitur ex eo quod cum aquæ non tranſeant per loca illa, non iuuant per ſe, ſed per accidens, quia fortaſſe aquæ per inteſtina tranſeuntes calefaciunt partes vicinas vtero, atque per conſenſum iuuant.

An ſterilibus pro cõceptione. Ex his concluſit non rectè agere illos Medicos, qui mulieribus ſterilibus ob vteri frigiditatem exhibent aquas prędictas, vt concipiant; cum potiùs aquæ ipſę eſſent in vterum inijciendæ, vel vtendum ipſis per inſeſſionem, vel per vapores, quoniam his modis multò magis prodeſſent, quã in potum exhibitæ. Hęc Fallopius.

Sed cum aquæ noſtræ præſertim nephriticis proſint, colicis, & alijs, ac lienis tumores imminuant, pectoris affectibus, & capitis etiam, vt dictum eſt, multò magis affectibus vteri proderunt; aſcendunt enim per venas ad ſuperiores partes, & deſcendunt ad inferiores, & per venas etiam vtero

com-

communicantur. Quod ſi potiones in totum corpus diffunduntur, multò magis, & aquæ thermales, quæ in multa copia bibuntur. Dixit inſuper, quod vtero non proficiant, ſi ob frigidam vteri cauſam non concipiant, eò quod per vterum non pertranſeant.

Aquę dictę qua de cauſa paſſionibus vteri conferunt.

Negare tamen non poterit, quod ad vteri venas non deſcendant: quod ſi ipſe Fallopius aſſerat iuuare, quia ad vretheres meatus, & ad inteſtina deſcendentes prodeſſe poſſunt ob communicantiã partium, multò magis ſi per venas ad vterum deſcenderint. Iuuant inſuper, eò quod excrementorum redundantium in ventriculo, & inteſtinis imminuant, & euacuant; ergo ſiue per ſe, ſiue per accidens iuuant, & non iuſtè reprehenduntur Medici, qui mulieribus ſterilibus ob vteri frigiditatem eas exhibent, quia excalefacere, refrigerare, & roborare viſcera valent.

Quod ſi ſterilitas erit ob aliquem morbum, vt propter calorem immodicum, cum aquæ calidam intemperiem minuant, & corrigant, abſque dubio pro conceptione facient. Similiter ſi ex immodico calore ſequatur abortus, ob eamdem rationẽ concedendus erit aquarum thermalium vſus, & liberaliter potus, eò quod nimius calor ſemen calefacit, & exiccat, & ſterilitatem inducit, tum quia

An conueniant ſterilitati morboſæ.

Pro abortu, & aliis morbis.

dum

dum calorem obtundunt immodicum, ab abortu præſeruant. Si igitur ſterilitas ex morbo prouenerit, vel à flatibus, &c. ad eam amouendam neceſſarium erit, vt morbus auferatur, flatus diſcutiantur, euacuatis illis ſuperfluitatibus, à quibus eleuantur. Et ita ſi ob immodicum ſanguinis mẽſtrui fluorem, conueniunt aquæ, quia conferunt immodico ſanguinis effluxui; ſimilitèr ſi inordinatè fluxerit; & ſi propter menſtruas purgationes albas, conſiderata prius mandante parte, & vtero recipiente, & materia, quæ fluit, denegandæ non erunt, & ſi ob ſeminis vitium, cum hoc à ſanguine fiat immediatè corrupto, ſanguine purificato, aufertur etiã & ſanguinis vitium. Ex nimio enim coitu deficiente ſemine quidam ſanguinem emiſit, & eiaculauit. Pari etiam ratione valent, ſi mulieres ob modicum ſanguinis fluorem non concipiãt, cum hæ thermales aquæ valeant ad menſtruas purgationes diminuendas. Quæ omnia intelligenda ſunt euacuato prius corpore, vt opus fuerit, & iterum repurgato, ad hoc vt cauſa in toto corpore exiſtens expellatur, & aquæ deindè proficiant.

An in vteri deſcẽſu.

Petes hic, an ſicuti in vteri ſuffocatione conueniunt, conuenire poſſint in vteri deſcenſu. Reſponderi poteſt, quod vtero locato in proprio, & in proprium locum reſtituto, ſi malum ſi frequentius

tiùs

tiùs repetat, eò quod propter humiditatum exceſſum ligamenta relaxata fuerint, factis vniuerſalibus, ſuffitibus etiam, inſeſſionibus opportunis, & alijs medicamentis, liberaliter aquarum thermalium repetitus potus commodus erit, quia ſubſalſæ ſunt, & vim ſalis habent, ac ſulphuris, & maximè, quæ ſunt ſub titulo Sanctorum Coſmæ, & Damiani; detergunt enim, repurgant, & talium partium mucores, & humiditates ſuperfluas exiccant, & corrigunt; ſed poſt opportunam totius corporis expurgationem, tempore anni opportuno, æſtiuo ſcilicet, & alijs. Vide Vidum Vidium lib. 2. de pręceptis pertinentibus ad curandos vteri morbos cap. 19. qui non ſolum thermales aquas pro vteri deſcenſu commendat, ſed etiam pro vteri ſuffocatione Tectucianas, & Porretanas ob vim ſalis cum ſulphure, quam coniunctam habent; has enim ſcripſit intimiores vteri partes abluere, melius confirmare, viſcus corrigere, & vteri frigidam intemperiem emendare, vt colligitur ex eodem, qui pro tali frigida intemperie laudat ligni guaiaci decoctum, ac ſi æqualiter valeret, & ex his collige, quod aquæ ad vterum perueniant, cum abluant vterum ex Vidi Vidij ſententia. Vid. Vid.

Proficiũt igitur aquę thermales affectibus vteri, ſi indicationes aderint, quia per venas, & arterias

cùm ſint materia potulenta, & ad ſuperiores, & inferiores partes penetrant, & ad vteri affectus ſic profuiſſe obſeruauimus in immodicè fluentibus menſibus, & in eorum defectu, & ſicuti venas, & arterias penetrant, ita per eaſdem venas, & viſceribus auxilia præſtant.

Et hac de cauſa in vteri deſcenſu corpore purgato ſuperfluitates enim illæ, & humiditates, à quibus ligamenta relaxata fuere, deſiccantur per aquas thermales, & confirmantur, & maximè cum à remotis partibus, atque propinquis fuerint expulſæ, & euacuatæ, & indè non ſolùm in vteri ſuffocatione, ſi fuerit à menſibus corruptis, ſed etiam à noxio, & venenato ſemine proficuę erunt aquæ thermales, eò quod deſcendentes ad inferiora per venas, & arterias ſpermaticas ad vteri cornua, ſemen vel corrigunt, ſi poſſibile fuerit, vel per ductum illum, quo fertur in vteri ceruicem expellunt, aut ſemen ipſum ſimul cum aquis expellitur.

Ex his, quæ hactenùs dicta ſunt, poterit vnuſquiſque decernere: An in alijs vteri morbis proficuus ſit thermalium aquarum vſus; vt V. G. in vteri furore, & prurit, qui ſi moderatè ad vteri naturalem ſpectant appetitum, ſi tamen modũ exceſſerint vteri vitiatam denotant intemperiem;

An in alijs vteri affectionibus in vter i furore.

vt

vt plurimum à calida prouenire ſolent intemperie, ſiue vteri, ſiue totius corporis, ſiue vtriuſque, vel à ſanguine acri, mordaci, vel à ſemine vitiato, & cum aliqua acrimonia corrupto, factis tamen vniuerſalibus, & corpore ab alijs excrementis peccantibus expurgato, & euacuato, ſicuti ad temperandum illum feruorem aquæ dulcis balnea conueniunt, ita magis proficuæ thermales aquæ, & conuenientes erunt, eò quod per vniuerſa viſcera pertranſeunt, & venas penetrant, & arterias, per quas ad vaſa ſpermatica deſcendunt, & corruptum ſemen, atque vitiatum ad vias illas perducunt, per quas in vterum fertur ſanguis menſtruus in virginibus, vel totius etiam corporis ſuperfluitates, & ita pariter commodæ erunt in mēſium diminutionibus, vt ſupra dictum eſt. Similiter opportunæ erunt in vlceribus vteri, & maximè ſi fuerint ob humorum effluſum, vt non ſolùm corpus à reliquijs emundetur, ſed etiam vt vtero intemperato proſint, conſideratis tamen ulceris conditionibus, & vteri intemperie, & deindè ad vlceris curationem deuenire poſſumus, vt faciliori negotio curationem perficere valeamus. In vteri vlceribus

Similiter ſi ragadias patiatur vterus, quæ ſicut in ano fiſſuræ ſunt, & ulcuſcula, ſiue rimæ, quę ſunt etiam fiſſuræ quædam, ſiue in longum, & an- Ragadiæ quid rimæ.

guſtum contractæ, ſiue in profundum, ſiue humidæ, ſiue ſiccæ, &c. quæ proueniunt à calidis humoribus, & totius corporis calida intemperie, relictis alijs cauſis, ſiue per eſſentiam, ſiue per conſenſum. Cum fiant hę fiſſuræ, ſiue rimæ à calidis humoribus, nullum dubium erit; an aquarum thermalium uſus ſit conueniens.

Ex dictis enim manifeſtum eſt, quod non ſolùm proficiant euacuando, temperando, roborando, ſed etiam abſtergendo; ita etiam ſcripſit Vidus Vidius lib. 2. de curatione membrorum cap. 17. de pręceptis in morbis vteri ſeruandis: vbi ſcripſit ita: Ad uterum nimis calidum refrigerandum, ſiue temperandum confert potus ſatis liberalis Aquæ Villenſes ex Agro Lucenſi, ſeu Ficoncellæ, Borrenſis. Et pro utero nimis humido aquarum thermalium liberalis potus, præcipuè, ſi uim ſalis, nitri, & ſulphuris habeant, uel aluminis, ut Tectuccianæ, Perretanæ, Aquarianę non ſolùm in potu, ſed etiam per inſeſſum, & eodem modo faciunt ad uteri prolapſum, ut uidere eſt apud eumdem cap. 19. & alijs ſequentibus, in quibus, & pro uteri prolapſu, & pro menſibus inordinatè fluentibus, & in eodem immodico fluore thermalium aquarum uſum commendat.

Vidus Vidius.

Sumantur igitur aquæ pro his curandis affecti-

bus

bus calidæ, ut facilè deſcendant, & penetrent per uenas ad uterum, ac uaſa ſeminaria. Sumantur in quantitate conuenienti ad hoc, ut reliquiæ ſi eſſet illorum humorum expellantur, ut ad lib. xij. & lib. xiij. per tres, & quatuor dies præaſſumpto aliquo ſerapio ſolutiuo, ut ſupra dictum eſt, & corpore deindè benè emundato aſſumantur aquę eodem modo calidę, moderatè tamen, & in minori doſi, ut ad duas, uel tres libras, & loco ſyrupi ſolutiui, &c. exhibeantur horis duabus poſtpoſitis à præaſſumpto ſyr. aliquo aperitiuo aquæ prædictæ, ad hoc, ut faciliùs permeant ad uteri uaſa etiam ſpermatica, neque abſonum eſſet, ſi cum prædicto ſyrupo, uel aliquo alio medicamento aperiente quid aliud immiſceatur, quod uitiatum ſemen corrigat, uel eius acrimoniam temperet, aut ipſum ſemen extinguat. Quomodo potāda.

DISTINCTIO QVARTA.

De ſimilibus in ano morbis.

Similiter, & de ijſdem affectionibus, quæ in ano accidunt diſcurrere poſſumus, patitur enim quandoque rhagadias, fiſſuras, rimas, & ulcerationes, & apparent in ani circuitu; proueniunt ali- Affectiones vteri rimæ, vlceri, &c.

aliquando ab intemperie ſicca, partes ani quæ dum contrahit, ob contractionem ſeparantur, quę ſicca intemperies aliquando coniuncta eſt cum calore, & cum materia calida, quæ poterit eſſe frigida, uiſcoſa, & dum ani partibus inhæret, quid mordacitatis, & acutiei poterit acquirere. Ita accidunt dolores, ardores, pruritus, ut in teneſmo, qui etiam ſuperuenire poſſunt à fæcum ſiccitate, qui pruritus poterit eſſe à uermibus, &c.

Therma-rũ vſus.

Si igitur rhagadiæ, & illæ exulcerationes prouenerint à cauſa calida illuc effluente à toto corpore, uel in ano, & circumuicinis partibus exiſtente, nulli dubium erit, quod erit opportunus thermalium aquarum uſus ob ſupradictas aquarum prædictatum uires, & facultates, de quibus abundè ſupra diximus, & ſi cauſa fuerit frigida, cum temperatæ ſint aquæ uiſcera calida frigefaciunt, & frigefacta calefaciunt, nec non & partes ſiccas humectant, & partium ipſarum ani, nulla erit indè contractio, & per contractationem ſeparatio, & conſequenter neque fiſſuræ, rimę, &c. Si prouenerint ex fæcum ſiccitate non ſolùm conuenientes erunt ob ſupradictas rationes, ſed etiam quia fęces emolliunt, & aluum ſoluunt eo modo, quo dictum eſt, pręcedente medicamento aliquo ſolutiuo.

Quod

Quod ſi pruritus erit ob cauſam calefacientem, & mordacem, tanto magis aquę proficiunt ano; ſi pruritus fuerit à vermibus, negligendus non erit earum vſus; quia non ſolùm materiam illam ex qua generantur, euacuant, ſed deturbant vermes, & interficiunt, vel è corpore expellunt: de quibus thermalibus aquis Vidus Vidius ita ſcripſit libro nono de curatione membratim cap. 27. Efficaciſſimum remedium in hoc caſu eſt admodum liberalis potio aquę Tectuccianæ, ſiue Porretanę, niſi tamen febris præſentia, aut aliud quidpiam ab huiuſmodi præſidio deterreat; ſiquidem & ratione ſalis prędictæ aquæ lumbricos egregiè interficiunt, & prætereà ob copiam, atque impetum eoſdem efficaciſſimè deturbant, & per aluum, vt vidimus per harum noſtrarum aquarum potiones non ſolùm lumbricos aſcarides, ſed etiam cucurbitinum per aluum expulſum, ac mortuum. Pruritus etiã à vermibus. Vidius.

Remanet, vt de teneſmo dicamus, qui morbus eſt in ano præſertim, cum ſit motus recti inteſtini, per quem cum pondere quodam cogitur æger, vt eadem die, & eadem hora frequentiùs inſurgat, & excitetur ad excernendum, & cum conatu, moleſtia, dolore, ac torminibus euacuat, & egerit, remanente adhuc ad aſſellandum aliqua ſemper propenſione. Differt à dyſenteria, quia hęc Teneſmus quid.

quia ratio
ne differat à dyſenteria.

hæc pertinet ad inteſtina omnia, quæ ſunt ſupra rectum inteſtinum. Teneſmus verò pertinet ſolum ad inteſtinum rectum; per hunc enim morbum quaſi ſemper, & ante, & poſt excretionem voluntatem habet æger, vt per aluum deponat. Quæ voluntas, & cupiditas ad excernendum licet ex multis cauſis prouenire poſſit; accidit ſæpè propter vlcus in inteſtino recto; poteſt etiam habere cauſam à phlegmate ſalſo cum muccis viſcidis, & tenaciter adhærentibus, ab acribus calidis, & viſcoſis humoribus ibi exiſtentibus, vel à toto corpore illuc affluentibus, & alijs etiam de cauſis.

Aquarũ vſus.

Teneſmus igitur ſiue proueniat ab vlcere, ſiue à pituita ſalſa, viſcida, & mucoſa, ſiue ab alijs humoribus in inteſtino recto congeſtis, ſiue à toto corpore, ſiue aliqua eius parte illuc effluxis, ſiue patiatur per conſenſum, ſiue per eſſentiam, ſemper erit aquarum thermaliũ commendandus vſus, & curationem quaſi ſimilem expoſcit, ac dyſenteria, de qua ſupra diximus. Vnde non derelictis vniuerſalioribus medicamentis, vt purgatione, & ſanguinis miſſione, ſi opus fuerit, deueniendum erit ad thermalium aquarum liberales potiones, vt dictum eſt de dyſenteria, & ad lib. xij. & plures per tres, & quatuor vices, præaſſumpto aliquo ſyr. ſolut. vt dictum eſt; ſic enim non ſolum eua-

cua-

cuabuntur omnes in ventre redundantes ſucci, & craſſi, viſcidi, pituitoſi, billoſi, &c. ſed etiam illi, qui in inteſtino recto adhæſerint, & illę ſordities, & mucoſitates vlceri adiacentes, quas aquæ detergunt, & ob vim ſalis vlcus etiam conſolidant; & ad cicatricem perducunt; & ſi teneſmus fuerit propter vermes etiam proſunt, vt dictum eſt ſupra. Tandem corpore ſic emundato, ſi quid reliquum ſuperſit, poſſumus vti ijſdem aquis, præcedente aliquo ſyr. non ſolutiuo, ſed pro mitigando dolore pro corroborandis ani facultatibus, atque temperandis partibus, cum aqua frigefacta calefaciant, & calefacta frigefaciant; & tandem ſi teneſmus fuerit à craſſo, & incluſo inter eiuſdem inteſtini pelliculas flatú proderunt aquę, cum ad diſcutiendos flatus valeant, vt ex dictis ſupra ſatis manifeſtum eſt.

SECTIO SEXTA.

An conueniant in alijs morbis, nec non & in febribus.

An conueniant aquæ thermales in articulorum doloribus.

SEnnertus tom. 2. de Medicina practica hanc dubitationem mouet, videlicet, an thermæ ſint arthriticis vtiles? à multis enim Medicis cõmendantur, & ita vt ad eas tamquam ad ſacram anchoram confugiunt; ſed experientia inquit obſeruatum eſſe, quod aliqui ex earum vſu deteriùs ſe habuerint; aliqui verò meliùs, & prodeſſe. Quod profuerint, reſpondet à thermalibus aquis integrã non eſſe ſperandam ſalutem, & ſanitatem, quia articuli ſunt imbecilles, & facilè corporis ſuperfluitates ſuſcipiunt; & licet ab aquis corroborentur, perfecta non erit ſanitas, quia pendet arthritis ab humoribus in corporis partibus, & diſtantibus, vel in toto corpore, à quibus corpus expurgandum eſt, & mundificato corpore iuuari poſſunt arthritici, quia poſſunt aquæ thermales humorum reliquias abſumere, diſſipare, & ita corrobo-

aquę thermales & ſi proſint arthritici non omninò.

roboratis articulis proficere; aliter enim conturbant, & inde humores in diuerſas partes tranſmittent, magis fundent, & liquabunt. Et nos corpore prius expurgato eas potandas exhibuimus cum ægrotantium leuamine; quod ſi arthritis iterum acciderit, non propter aquarum thermalium defectum, ſed ob errores in ſex rebus nõ naturalibus commiſſos, & inueterata articulorum imbecillitate facillimè ſuperfluitates corporis articuli accipere poſsũt. Vtrũ autem potiùs facerent pro præſeruatione, quàm pro curatione. Dicerem pro præſeruatione, ſicut & nos vſi ſumus non vexante dolore, tũc enim materia in articulis non agitatur, ſic obſeruauimus, quia leuiter etiam euacuantia, tunc maiorem excitant dolorem, & ratio eſt, quia in præſeruatione educitur cauſa, quæ poſſet facere arthritidem, & articuli corroborantur, ſeruatis tamen regulis in ſex rebus non naturalibus. Ita Horatius Guargante in reſponſionibus ad diuerſas ęgritudines pro dolore cruris laudat Tectuccianas aquas, quæ ſoluunt aluum, & fluidam reddunt, aluus enim adſtricta contumaciorem reddit podagram, & cæteros articulorum dolores vehementiores; cum ergo fluida eſſe debeat aluus, & placidæ debeant eſſe euacuationes cum medicamentis pituitam, & bilem, ſic ſerum euacuan- Horatius Guargãt.

euantibus auxilium thermales aquę præſtant, à quibus ſiunt articulorum dolores. Mercurialis to. 3. conſil. pro Comite Pirro Maluetio pro medicamento ſolutiuo cõmendat vſum earum, prius per duos, tres, & quatuor dies aquarum Tectuccianarum; & mox Villenſium per duodecim dies, & eas exhibet duabus, & tribus horis antequam potentur aquę, mannam, vel ſyr. roſ. ſol. vt facimus in noſtrarum aquarum potionibus, quo faciliùs expellantur aquæ.

Mercur. conſiliũ.

Obiectio. Dicere tamẽ aliquis poſſet eſſe probabile, quod in affectibus vteri ſint vtiles, quia vſque ad vteri partes penetrare valeant, & magis quod vrinam etiam in nephritices moueant, & prouocant, & in oculi ſuffuſione, doloribus aurium, tinnitu, & alijs, vt nonnulli ſcribunt, quia partes illæ ſunt per conſenſum malè affectæ, vnde expurgatis humoribus à parte mandante, cum qua conſenſus adeſt, vtilitas conſequitur, & iuuamentum. Quæ ratio non valet in arthritide, podagra, & aliorum articulorum doloribus, quia nullus videtur eſſe partium conſenſus; & ſi fuerit, non poſſunt aquę penetrare ad partes affectas, ad articulos ſcilicet, & ab ijs partibus affectis, & dolentibus cauſam amouere, & ſi penetrauerint eamdem per ſęceſsũ, aut per vrinas euacuare, vt in nephriticis, & ſimilibus.

Ve-

Verum & ſi cauſam in articulis amouere non poſſunt, antecedentem tamen, & futuram ad arthritidem efficiendam euacuare poſſunt; Nephritici enim ſolent vt plurimùm eſſe podagrici;ergo eſt inter hos affectus aliqua communicatio, ſi valent ad nephriticum dolorem, & iuuant; eodem modo ad articulorum dolores, & cum aquæ etiam in venas penetrent, non erit extra rationem dicere, quod & ad omnes articulos, cum in potionibus commune ſit dictum illud (Bibit os, bibit thorax, bibit venter, & omnes partes bibunt) cũ ergo ad articulos etiam deſcendant, partes temperare valent, & roborare, reliquias humorum diſſipare, & ſimul leui adſtrictione adſtringere ne tã facilè deſcendentes recipiant humores; licet enim articulorum dolores cauſam habeant in cauitatem articuli prolapſam, & in ſpatium illud oſſis, tamen ſicuti per venas illuc deſcendunt humores, ita etiam & aquæ;ergo non ſolùm reſpectu cauſæ, quæ fluxura eſt, ſed etiam fluxæ conueniunt ad reliquias conterendas; factis tamẽ opportunè vniuerſalibus medicamentis, & maximè ſi in ligamentis articulorum fuerit ſiccitas, nam in ſiccis temporibus ex venereis immodicis, nimijs exercitijs recurrent in articulos humiditates illæ mucilaginoſæ, quæ ſunt intra articulos, quæ ſi deſiccatæ

Solutio.

Cõſenſus nephriticorũ, & podagricorum.

Digitized by Google

ſiccatæ fuerint, dolor excitabitur, & motionum ſubſequetur impedimentum.

DISTINCTIO SECVNDA.

An in ſcabie conueniant.

MVltiplices eſſe ſolent differentiæ ſcabiei. Quædam enim eſt neque vlceroſà, neque ſquammoſa; quædam verò vlceroſa, ſicca tamen, & cum ſquammis, & ita ſcabioſa ſunt membra, vt præ pruritu contrahi videantur: ſquammæ verò, ſeu cruſtæ ſunt aliquando tenues, & aliquando craſſę, aſperæ, durę, cum quibus pruritus adeſt, & leuis quædam cutis exulceratio modo magis, modo minus. Quædam alia eſt vlceroſa humida, & vlcera ſunt cum ſquammis tenuioribus, & non ita profunda ſunt vlcera, ſquammæ verò furfuri aſſimilantur, & dicitur Pſora. Quædam alia reddit totum corpus ſquammoſum cum vlceribus profundis, & cauſam vitioſam nimis in partibus internis habet; dici ſolet Lepra Græcorum, diuerſa penitus à vera lepra. Et tandem quædam alia pruritus dicitur abſolutè.

Scabiei differētię.

Cauſæ.

Cauſas habere poſſunt à diuerſis humoribus, vt eſſet melancholia naturalis, aduſta, ſalſa pituita,

etiam

etiam aduſta, bilioſa, craſſa, qui humores per venas magnas feruntur ad paruas, & vna cum ichoribus quamdam putredinem acquirunt, & ita etiã ad partes inferiores deſcendunt ad coxas, tibias, &c. vtcumque ſit, cauſam habere poſſunt ab hepate ex corruptis humoribus, qui in fumos conuerſi in cutis ſuperficiem demandantur; quod ſi fumi non erunt ita tenues, & ſubtiles, ſed potius craſſi vapores, aut tenuiores, & ichoroſi humores, hi ſcabies ſupradictas generare poſſunt, & pruritus etiã, vnde puſtulæ quædam oriri poſſunt ad modum veſiculę paruæ, ad modum granorum ficus. Verum à quibus, & qualibus ſuccis hæ ſcabiei differentiæ oriantur, non eſt huius loci rem decernere, facilis enim eſt humoris peccantis dignotio, vt plurimum à labefactato ventriculo, vel ab hepatis feruore prouenniunt, quòd craſſam etiam in ſtomacho, & crudam materiam adurit, vel in melancholiam conuertit.

Pro curanda ſcabie dupliciter incedere poſſumus, curatione ſcilicet præſeruatiua, etiam ſi fluxa ſit ad cutem materia, non tamen ibi inhærens, & fixa, vel impacta. Aut de eadem & fluxa, & fluente, poſſumus etiam procedere via curatiua, vt intentio ſit amouere ſquammas, vlcera, pruritus, &c. quę cutim moleſtant, & afficiunt. Curatio.

Cu-

Curatione præſeruatiua procedentes, ne cauſa ſcabiem inducat, alterantibus, & euacuantibus vtendum erit, & circa euacuantia duo quærere poſſumus. An ſit exhibenda aqua ante totius euacuationem, an ſemper corpore ab excrementis emundato, circa primum ſi prouenerit ſcabies à feruore hepatis, vt dictum eſt, aut ab humoribus calidis, tenuibus, ſalſis, mordacibus, & ſimilibus, neceſſarium erit vt fiat eorum humorum in corpore exiſtentium euacuatio, conueniens ad eorum expurgationem, cholagogis, melanogogis, phlegmagogis; quia non ſufficiunt alterantia, ſi non fuerint humores deindè euacuati: Aquæ verò thermales, & ſi purgent, non tamen electiuè trahunt, vt neceſſe eſt. Circa ſecundum non ſemper erit neceſſarium, vt medicamenta præcedant electiuè trahentia, vt V. G. ſi procederet ſcabies à ventriculo ſupercalefacto, labefactato, vel propter feruorem ipſo, vel hepate etiam ita intemperato, vt craſſam, pituitam, & crudam in adurentem, vel in bilem, aut pituitam conuertat, in ſalſam, &c. tunc poſſunt aquæ thermales abſque præmiſſis alijs euacuationibus exhiberi, quia materia eſt in ſtomacho, & primis vijs, quæ non ſolùm euacuabitur, ſed etiam ventriculus roborabitur, & temperabitur, itaut non in coctione alimentorum de-

vſus aquarũ in ſcabie abſq; totius euacuatione quando.

delinquét, aut labefactetur. Neque sumātur aquæ, per diē, sed per duos, tres, quatuor, & plures dies, eo modo, & quantitate, vt supra notatum, ita & cum solutiuis antecedentibus, quæ poterunt institui pro peccantium succorum qualitate, & ita erit euacuatio humorum aliorum in corpore existentium, iuxta tamen exhibiti solutiui qualitatē, & quantitatem, & etiam ad supercalefactum hepar. Facit ad rem hanc id quod scripsit Minadous lib. 2. de turpidinibus cap. 14. ita scribens, Ad hāc curationem quoque pertinere videntur aquæ Lucenses Beatæ Virginis Montis Ortoni, Caldarianæ, mirifica enim qualitate præstant ad iecoris feruorem compescendum, ad mundanda ab excrementis viscera, & ad excrementa mirum in modum contemperanda, summoperè etiā iuuant in scabie humida. Minadous

Mercurialis tom. 3. consil. med. eas commendat etiamq; & ad vlcera crurum, Lucenses scilicet de Villa, consil. ad Vincentium Ribaudum Medicum, & consil. ad Iulium Genuam Medicum, easdem commendat aquas pro cute emundanda prauoque illo habitu scabioso delendo, quæ præsidia alijs esse præferenda scripsit. Dubitanti etiam Ioāni Mariæ Riccio Medico, an aquæ Villensis, vel Pisanæ sufficientes essent ad diram illam scabiem, Mercur. ita cur. optime.

& labem auferendam: Reſpondet: Ego verò, ſicuti non inficior Lucenſe Balneum intus, & extra adminiſtratum conducere poſſe, ita quod quotidie non abſque admiratione in omnibus experimur, qui Thermis Vrbi huic proximis vtuntur, facere non poſſum, quin tibi ex corde aſſeram, nempè nullum eſſe adeo vehementem, contumacem, & ita horribilem Gallicum cutis affectum, quin citò & feliciter à balneis Sancti Iuliani vocatis, tùm pro potu, tùm lauacro adhibitis ſuperetur; ſi quid mea conſilia apud te valent, hac mea atteſtatione debet illi perſuadere; & idem Mercurialis lib. 2. de morbis cutaneis cap. 4. de ſcabie: Sunt, inquit, optimæ, & pro tollenda ſcabie aquæ thermales, & præſertim aquæ omnes ſulphureæ, quæ mirificè purgata corpora ſolent ſtatim à ſcabie liberare.

Aquæ noſtræ cur optimæ.

Neque thermales aquæ Sanctorum Coſmæ, & Damiani, vt viſum eſt, & pluribus experientijs obſeruatum, in prædictis affectibus extirpandis minoris ſunt efficaciæ. Euacuant aluum, & per vrinam mouent, vt Tettucciane, valent in affectibus calidis, & frigidis, vt aquæ Fiçoncellæ, & vt aquæ Villenſes, & aliæ huiuſmodi, quæ omnes laudantur etiam & in pruritu in conſil. med. ab Horatio Guargante, & in pruritu Gallico; ſed factis vniuerſalibus, & domita prius Gallica lue, & per dies

Guargãte in pruritu Gallico.

duo-

duodecim, aut decem dies. Villeſes exhibet aquas, & eaſdem pro Gallica impetigine, & miliari, vt videre eſt apud ipſum in conſil. Sed quis ambigere poſſet de earum vſu, eò quod per aluum mouent, & vrinam, vt dictum eſt, quia dum prouocant vrinam, commotam materiam, illam per ſeceſſus euacuandam in venas, & vretheres meatus expellerent; ſed facilis eſt huius dubitationis reſolutio, quia materia in ventriculo, & in primis vijs congeſta, mediante medicamento ſolutiuo eſt in via, & ad inteſtina deſcendens, vndè hæc prior per aquæ potiones per aluum expellitur, & deindè facta expurgatione dilatatis, & apertis vijs in venas, & vretheres meatus penetrat, & ita obſeruatum eſt, quod per vrinam tardè, & ſequenti etiam nocte mingitur, & non ſtatim per vrinam, & ſi abſonum non eſſet, & per vrinam mouere, & per aluum ratione diuerſorum humorum in diuerſis partibus exiſtentibus, ſic & in ſudorificis decoctis multi ſolutiua medicamenta permiſcent.

Obiectio

Solutio.

Quod ſi materia ſcabiei fuerit ad cutim effluxa, firmata, pruriginoſa, ſquammoſa, & ſimilis cutim infeſtans, atque moleſtans; tunc factis vniuerſalibus poſſumus ad medicamenta externa deuenire, & relictis alijs etiam conueniens erit balneatio cutis, quia aquæ prædictæ ſulphureæ ſunt, ni-

Aquarum vſus etiã in pſona cõueniẽs

croſæ, ſubſalſæ, & in pſora etiam, ac lepra Græcorum earum vſus eſt commodus, vt etiam teſtatur Auicenna.

Obiectio

Temperata enim cū aquarum balneationibus, facilius recurrere poſſumus cum appropriatis vnguentis, ſic enim ſcabies eradicabitur, ſanies per corpus diſperſa educetur, atque fraudulentis vlceribus, & cæteris accidentibus opitulabitur, factis tamen vniuerſalibus medicamentis, ſi opus fuerit.

Solutio.

Hoc autem intelligendum eſt, ſi fuerit omnis ſcabiei cauſa ad cutim immiſſa, & corpus fuerit optimè mundificatum, viſcera temperata, alitèr ſiue balneationes quæcunque, ſiue vnguenta fuerint, ſiue illinitiones, eſſent valdè nociuæ, & quod humores illi acres, mordaces in partes interiores refluxerunt, & qui ad cutim, & corporis ſuperficiem à natura demandarentur, propter obſtaculum à topicis medicamentis ad interiora repellerentur, & maximè ſi hectici fuerint ægrotãtes, & vlcera inueterata; nam repulſi humores non leue afferent incommodum, & nocumentum, vt pluries obſeruatum eſt.

Topica qnando.

Notandum eſt tandem hac in re, quod ea, quæ hucuſque dicta ſunt, intelligenda non ſint de ſcabie critica; multi enim cum per tumores, vt in febribus, ſudores, alui ſeceſſus, &c. terminentur, ita etiam & per ſcabiem finiantur, & ad morbi ſolutio-

Scabiei criticæ, & nō criticæ differētia.

lutionem ſequitur ſcabies; quæ verò morbus eſt paulatim oritur, & nullo modo morbo præcedẽte pullulat ex Hyppocr. 2. prorhet. in fine. Verùm ſi critica ſcabies diutius perſeueret, & cauſam habeat in viſceribus efficientem, & materialẽ; tunc & ſanguinis miſſionibus, & per aluum euacuationibus erit vtendum, & tandem ad viſcerum etiã temperiem poterit eſſe thermalium aquarum vſus.

Quærit Mercurialis lib. 2. de morbis cutaneis cap. ſupra cit. An argentum viuum, vel argentum ſublimatum conueniat, eò quod Auicenna, & ſequaces mirificè illa commendant; atque etiam recentiores Pharmacopolæ ſolent vti huiuſmodi medicamento. Ex altera parte ſcimus, inquit, argentum viuum eſſe medicamentum venenatum, ac deleterium, & propterea non conuenire; neque etiam Græci huius remedij meminerunt. Reſpondet in affectu ſcabioſo, ſi ſit mitis, & recens, fugiendum omninò eſſe argentum ſublimatum, vel argentum viuum, quia magnum periculum affert, ſi vel plus addatur, quàm conueniat, vel ſi pluries vtamur linimento quam par ſit. Vbi verò periculum magnum imminet, ſemper debemus fugere periculum in re, quę ad modum non eſt grauis. Quod ſi ſcabies ſit inueterata, & maligna, eo in caſu poterimus vti; ita tamen eo caſtigato, & alijs

Argentũ viuũ, vel ſublimatum.

Inueterata ſcabies.

medicamentis benignioribus commixto, vt de periculo magno non ſit nobis formidandum. Hęc Mercurialis. Ego verò in ſimilibus caſibus hac vtor aqua. Recipe argenti viui vnc. ſem. & in ouo ponatur argentum viuum hoc modo, vt facto prius in ouo crudo foramine, ponatur argentũ viuum, & cera deindè foramen obturabitur, ouum deindè ſub cinere, vel in aqua ad ignem, vſque ad oui indurationem concoquatur, deindè recipe prædictum argentum viuum, & argenti ſublimati ana vnc. j. aluminis dr. ij. ſimul incorporentur in mortario lapideo, cum baculo ligneo nitido ſemper agitando cum parum aquę roſaceæ, & hoc pacto fiat per multos dies, veſpere verò dimittatur quieſcere, & ita fiat per dies vſquequo albeſcant ſicut nix; deindè totum hoc ponatur in phiala vitrea, & ſuper imponantur aquæ pluuialis limpidæ, & claræ lib. ij. coquantur lento igne ad medietatis conſumptionem, & quieſcat donec totum reſideat in fundo ſaltem per noctem, & iterum abiecta aqua, iterum ſuper infundantur aquæ pluuialis lib. ij. & iterum bulliant vſque ad conſumptionem medietatis aquę, vt ſupra, & quieſcere dimittantur, & reſidere, colentur poſtea per colaturam, & aqua pro vſu opportuno ſeruetur. Valet enim pro ſcabie puſtulis, manuum fiſſuris, & aliarum partiũ

Aqua ex argento viuo parat.

vlce-

vlceribus, & ſimilibus, cutim attenuat, dealbat, mundificat, & vlcerum veſtigia remouet, & aquæ prædictæ multi vtuntur reſidentia ad dealbandas, & decorandas manus abſque vllo periculo. Verum ſi ſcabies fuerit per totum corpus fiant balnea, inunctiones, et cætera vniuerſalia medicamenta.

DISTINCTIO TERTIA.

Ad cutaneas affectiones an conueniant.

IOANNES CRISPO.

AD fœdam cutis infectionem, ſcabiemque ferinam non ſemel hãc aquam experti ſumus, plures enim totam ferè cutim, carnemque interiorem dilaceratam habentes exeſaſque cum ingenti pruritu, ac dolore à calidis, mordacibusque ſuccis ab hepate calido, et ſicco genitis, ac per omnes corporis partes tranſmiſſis in totum aquæ Sanctæ Eliſabeth uſu D. O. M. annuente ſanauimus, miſſo prius ad ſufficientiam ſanguine, & humoribus ſalſis, acribus, atque mordacibus præparatis, vel cum ſyrupo de fumo terra, lupulis, borragine, & ſimilibus, peractaque totius corporis expurgatione cum medicamentis opportunis, vt mã- Aqua S. Eliſabeth

na, ſyrupo roſato ſolutiuo, ad melancholiam, & confectione hamech, & ſimilibus ad hanc aquam deuenimus, exhibito prius duabus horis ante ſeq rapio de fumo terra compoſito ad vnc. ij. vel iij. & poſtea ſit vſus aquarum tribus diebus continuis, vt ſupra dictum eſt, poſtea ijs elapſis balneetur ægrotantes, ea ſcilicet aqua, quæ apud Eccleſiam Sanctorum Coſmæ, & Damiani, vt cutis deleatur infectio, vlceraque abſtergantur, & cicatrices obducantur, appoſito deindè aliquo vnguento ad ſcabiem experto, quorum ſilua multa eſt, illud tamen quo frequentiſſimè vſus ſum, nunquam me ſefellit. Eſt autem ſubſcriptum, videlicet, Recipe

Aqua SS. Coſmę, & Damiani

Fol. oleandri, filo ligatorum num. 40.
Radicis pancratij num. j.
Chalaminthæ p. iij.
Cimini vnc. ſem.
Succi limonum vnc. iiij.
Bulliant in libris duabus cum dimidio olei cõmunis, donec Nerei folia areſcant ita, vt manibus, digitiſque tractata in puluerem reddantur, quo tempore omnia auferantur, & reijciantur, oleum tantùm remaneat, deindè adde ceræ pallidæ quantum ſatis, qua liquefacta, & cum oleo ſimul tepefactis addantur ſublimati tenuiſſimi triti vnc. ſem. ſulphuris viui vnc. j. ſalis nitri drag. iij. miſceantur, & fiat vnguentũ, & ad vsũ ſeruetur.

His

His lotionibus, atque inunctionibus quinque diebus continuò factis hoc modo, vt noctu ante cęnam prius ſe lauent ęgrotantes aqua Sanctorum Coſmę, & Damiani mediocriter calida, mox abſterſo linteamine corpore toto propè ignem inungantur, exceptis emunctorijs, deindè lineis tantùm induantur indumentis calidis, cum quibus tota nocte obdormiant, poſt duas horas leuiter cænent, mane abiectis lineis illis indumentis, mundis vtantur veſtibus, & indumentis, atque hoc modo perſeuerent, vt quintum diem abſoluant: Quibus finitis poſt duos dies balneo aquæ dulcis vtantur, bis, aut ter, qua curandi ratione, & norma multos ferina ſcabie affectos curauimus, & in totum curationem abſoluimus. Aquæ Sanctæ Eliſabethæ primum fuit vſus, vt minus ſubſalſa, & magis frigefaciens, & viſcera calidiora contemperans. Deindè pro lotionibus, & lauacris aqua Sanctorum Coſmæ, & Damiani, eò quod ſaporem ſubſalſum maiorem habet, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed facta comparatione.

DISTINCTIO QVARTA.

An Aquæ Thermales conueniant in gutta roſacea.

Gutte roſaceę differētiæ, & cauſæ.

ACcidit aliquando in facie gutta roſacea, quę rubedo quædam eſt in facie ſine puſtulis, & vlceribus ab eleuatis vaporibus ſanguineis, vel vnà cum bilioſis, aut pituitoſis à pituita ſalſa productis euaporationibus ob nimium frigus externũ, qui in faciem aſcendentes, eam colore rubro colorant; & ſi tenues, ac bilioſi, quid etiam bilioſum oſtendent, ſi vero craſſi, conſiſtens erit rubedo, & maius, vel minus humoris dominiũ vnà cum ſanguine per colorem demonſtrabit, vnde facies erit magis, vel minus rubicunda, & ita pariter ſi ab humore melancholico aduſto proueniãt, melchãolicũ quid cum rubore in facie apparebit, ſemper tamen rubedo illa maſſę ſanguineæ feruorem ſignificabit, vel eamdem efferueſcentem ab intemperie pręſertim hepatis calida originem habentem; eſt enim hepar ſanguinis officina. In hoc igitur caſu conueniunt aquarum thermalium potiones, eo quod nõ ſolum feruorem partium, & hepatis temperant, atque refrigerant; ſed etiam quia calorem humo-

rum

rum obtundunt, infringunt, & vapores illos qui-
cumque fuerint, diſſipant, atque reſoluunt, & ita
factis vniuerſalibus, factis ſcilicet ſanguinis miſ-
ſionibus, & alijs euacuationibus, ſi opus fuerit,
deueniendum erit ad aquarum thermalium vſum,
non bis, & ter, ſed etiam quater, præaſſumpto ali-
quo medicamento ſolutiuo ſecundum exigentiā,
vt ſupra notatum eſt. Neque interim deſpicienda
erunt alia medicamenta alterantia, quę facillimè
pręſtabunt auxilium opportunum.

At ſi gutta roſacea cum puſtulis erit in facie, vel
vlceribus, difficilior erit curatio, & maximè ſi in- Guttę roſaceę cū puſtulis & ulceribus.
ueterata fuerit, eò quod fixam, & veluti radicatam
in viſceribus calidam eſſe denotat intemperiem,
& conſiderabilem, vnde ſi negligatur curatio ma-
ius aliquod malum ſuperuenire poterit. Exordiū
hæc ſumit à prauo, & vitioſo ſanguine, nonnullis accidētia.
enim ſic affectis, & capitis capilli decidunt, & fur-
fures, pruritus ingentes ſuperueniunt, eo modo
quo in mulieribus ob ſanguinis menſtrui defectū,
& maximè ſi vitioſus fuerit in corpore ſanguis, &
per menſtruas purgationes non euacuatus, ſi ergo
gutta roſacea erit cum puſtulis, vlceribus & cum
pruritu, ſignum erit, quod in corpore non ſolùm
efferueſcens erit maſſa ſanguinea, ſed etiam uitioſa,
& ideò maius malum futurum ſignificare poterit,
niſi occurratur.

Ad rem hanc facit id quod ſcripſit Fallopius
Fallopius lib. de thermalibus aquis cap. 18. de balneis Montis Octoni de aqua Virginis. Aqua illa, ſic inquit, in potu tantùm eſt in vſu, eamque exhibemus feliciter admodum ijs, qui patiũtur guttam roſaceã, ſiue rubram vocatam. Vdiſtis ſæpè homines, qui faciem habebant rubicundam, & verrucis quidem rubentibus repletam; ita vt facies verrucata tota appareat. Hæc igitur eſt illa affectio, de qua loquimur, quæ fugatur ex potu aquæ Virginis, ſi duobus annis in potum aſſumatur; temperat enim maximè feruorem huius aquæ vſus, vt idem Fallopius aſſerit: Hunc aquarum vſum à Franciſco Friſimelica, & Aloyſio Bellocaro ſcripſit accepiſſe, & primos inuentores fuiſſe. Hæc Fallopius.

Cur per duos annos potari debeãt aquæ. Quod ſi quæras, cur per duos annos in potu aſſumendam eſſe ſcripſerit aquam Virginis? An quia ſupradicti homines cum facie rubicunda, & verrucoſa inueteratam guttam rubram patiebantur, & propter partium calidam intemperiẽ emendandam longum aquarum vſum exiſtimarit eſſe neceſſarium, vt diutino potu, & intemperies obtunderetur, ac ſimul verrucoſæ guttæ cauſa remoueretur; ſimilis eſſe poterit noſtrarum aquarum vſus, eius præſertim, quæ in Monaſterio S. Eliſabeth reperitur, quia minus ſubſalſa eſt, hinc au-

tem

tem non ſequitur, quod per duos, tres, & quatuor dies non ſit adminiſtranda, præaſſumpto medicamento ſolutiuo ad materiam illam calidam, bilioſam, aut ſalſam pituitam euacuandam, temperãdam, &c. & vt magis ſolutiua conueniens etiam erit aqua Sanctorum Coſmæ, & Damiani; & maximè cum aqua Virginis non ſit ab his aquis, de quibus ſcribimus diſſimilis, cum parùm ſubſalſæ ſint, & ſal perfectam coctionem habeat in locis illis ſubterraneis, vt diximus in prima ſectione. Si igitur recens, & non inueterata fuerit roſacea gutta, facillimè poterit per potiones aquarum tribus, aut quatuor diebus amoueri; diſſimiles non ſunt hæ aquę ab illa Virginis; frigidæ enim erumpunt, limpidæ, tenuiſſimæ, refrigerant, ſed non impensè, corroborant, ventriculo non nocent, imò proſunt etiam frigido, ſulphureę ſunt, ſed nullum ſulphuris odorem, aut ſaporem retinent, vt ſunt aquæ ſulphureæ, quæ ſecum ſulphureum tartarum afferunt, qua de re nephriticis doloribus opportunæ non videntur eſſe, ſed hæ noſtræ, quæ neque ſaporem ſulphuris, neque odorẽ habent, eò quod ſulphureis diſſolutis vaporibus frigidæ preſiliunt abſque vllo ſulphureo tartaro.

Quidam gua roſacea cum puſtulis, & vlceribus per totam faciem oppreſſus deformis erat, à Historia.

Me-

Medico curante conſilium petijt; an ex Mercurij vnguento inunctiones eſſent opportunæ? Negatæ fuerunt, ſed ſpreto curantis Medici conſilio, ſe dedit in vnctionibus; fortaſſis ob aliquam morbi Gallici ſuſpicionem. Fuit inunctus, ſed inunctionibus factis obijt. Practicantes vero pro gutta roſacea cum puſtulis, & vlceribus vnguenta; illinitiones cum argento viuo compoſita ſcripſere, ſed non ex hoc deueniendum eſt, vt ijs vtamur, ſicuti in gallicis inuuctionibus ex Mercurio; ſunt enim diuerſæ vnguentorum compoſitiones pro gallica lue curanda, & pro gutta roſacea diuerſæ, & diuerſus etiam eſt modus, quo fiunt inunctiones, & diuerſæ ſunt partes, quę inunguntur cum frictionibus fortibus, & doloroſis ad hoc, vt argenti viui, & aliorũ medicamentorum vires, & facultates ad penitiores corporis partes penetrent. Sic vidimus in effoſſis ſepulturis cauitates oſſium in cadaueribus argentum viuum penetraſſe, ac ibi coexiſtere, & permanere per annos.

Modus inungendi pro gallicis.

Fiunt inſuper inunctiones pro lue venerea carbonibus accenſis, clauſis, & occluſis feneſtris, & cæteris alijs ſpiraculis, vt aer ſit vndequaque calidus, & æger non ſolùm calido inungitur vnguento, ſed inunctus pannis lineis circumtegitur, ijſque calidis, & in lecto calido, vt ſudet, ſi ſudare poterit,

terit, & eædem aſperæ frictiones fiunt de ſero, ſcilicet ſine vnguento. & ita fiunt per aliquot dies, donec ſigna manifeſta perfectę iam inunctionis appareant, vt palati, & gingiuarum tumores, inflationes linguæ, tumefactiones, excoriationes, vt propter linguam impeditam ægri aut non loquũtur, aut balbutiãt, deglutiones ſubſequũtur cũ impedimento, ſputa ſanioſa, craſſa, viſcoſa, &c. eò quod argentu etiam viuum ex inferioribus partibus inunctis ad ſuperiores aſcendit. Pro gutta verò roſacea ſi fieri debeat inunctio ex vnguento cũ argento uiuo, dixi ſi fieri debeat eò quod non ab omnibus commendatur, niſi morbus rebellis fuerit, contumax, & inueteratus. Perículoſa igitur erit inunctio cum vnguento ex Mercurio in morbo gallico, quia humores in ventriculo, & in partibus circumſtantibus exiſtentes quamdam per ipſum putredinem accipiunt, vnde ſputum fœtidum, fœtor oris, ſitis inextinguibilis, & alia proueniunt accidentia, eòquod In ſuperiores partes aſcendunt; faciem igitur gutta roſacea affectam tumidiorem reddent, & indè facilius cerebro, ceruici, & alijs vicinis partibus noxia illa vis, & deleteria communicari poterit. Quid autem illi propter inunctionem inciderit, & qua de cauſa ſuperueniente obierit, incompertum habeo, venenoſa illa

Inunctio ex Mercurio periculoſa.

Digitized by Google

illa vis argenti calorē capitis naturalem non ſolū extinguere potuit, ſed aliarū partium; & fortè, quia gallica non erat lues, quam debebat oppugnare, & agere; vnde non magis nocere habuit, ſi enim alexipharmaca nocent, ſi in corpore non ſit venenoſa qualitas, multò magis venenum; quod aliquando veneno opponitur, iuxta id, quod ſcripſit Cardanus de ſubtilitate lib. 5. quod ob frigus immenſum erodit, arbores necat, &c. & conſequentèr, quà frigidum cerebro nocet, Matthiolus etiam ſuper Dioſcorid. lib. 6. cap. 28. exceſſu ſummè frigidum eſſe ſcripſit, ac humidum putrefactiuum, & alia, vt videre eſt apud eumdem.

Pro gutta roſacea practicantes multa ſcripſerūt vnguenta cum argento viuo; & facta inunctione faciei, proponunt ablutionem eſſe faciendam. Placet tamen id, quod ſcripſit Nicolus poſt multorū vnguentorum compoſitiones etiam cum argento, in fine capitis de gutta roſacea ſerm. 7. vbi aſſerit, meliùs, & tutius eſſe, ſi ad curam palliatiuam deueniamus, factis tamen vniuerſalibus. Cura, inquit, Mendoſa, & occultans ad tempus guttam roſaceam faciei, completur cum appoſitione ventoſarum retro, & ſub mento cum ſcarificatione; deindè cum emplaſtratione loci de puluere ſolearum antiquarum mixto cum melle; hæc enim

Cura Mēdoſa tutior, & qualis.

cura

cura facit occultare guttam roſaceam ad tempus, ita quod etiam vſque ad annum non redibit, poterit Medicus interim attendere, vt partium intemperies emendentur, nè ampliùs gutta roſacea redeat, ijs adminiſtratis auxilijs, quæ magis opportuna viſa fuerint.

Ex his quæ dicta ſunt poterit vnuſquiſque colligere thermalium aquarum vſum in ſimilibus morbis eſſe proficuum, vt exempli gratia in impetigine, ſiue ſicca fuerit, ſiue humida, velut ſcabies ſiue ambulatiua, ſiue permanens, ſiue vlceroſa, ſiue non, cuius cauſa materialis eſt pauca cum viſcoſitate quadam aduſta, & acuta genita à viſcerum calidam intemperiem patientibus, quam intemperiem, & ſimul humorum acutiem, & aduſtionem corrigunt, & infringunt thermaliū aquarum potiones, ſi temperatę fuerint, vt hæ, de quibus loquimur, præſertim ſi malum in principio fuerit, & ſumantur, vt ſupra, per duos, & tres dies, ac plures ſi opus fuerit, & factis vniuerſalibus vt opus fuerit, & tunc ad topica medicamenta deuenire poſſumus. Quod ſi Gallica fuerit impetigo, earum aquarum vſus negligendus nō erit, dummodò præceſſerint ea medicamenta, quæ luē illam veneream extinxerint, eo modo quo diximus de Gallica gonorrhea curanda, & tandem pari

Aquarum vſus in impetigine.

Digitized by Google

ratione curari poſſunt alij morbi ſimiles, vt aduſtiones oris à bilioſis humoribus, & aduſtis, à febribus minimè prouenientibus, ſed & à ſalſa pituita, ſicuti & cutis aliæ affectiones ex ijſdem humoribus originem habentes.

DISTINCTIO QVINTA.

In febribus conueniens ne ſit thermalium aquarum vſus.

REfert in ſuis obſeruationibus Schenchius lib. 6. de febribus obſeruat. 6. ex Campegio de quodam fonte apud vrbiculam de Sancto Baldomero nuncupatam, cuius aqua fermenti vicem gerit, & bibitur, ac ſi vinum optimum, cuius hauſtu bis febre ſanatus ſum, inquit; tertiana primũ, deindè continua, idcircò quod antea non audirem, vix credere potueram, cum expertus fuiſſem, perfectè ſciui permultaque alia, vt crederem mihi perſuaſit, quæ de fluuijs, fontibuſque, ac lacubus ab optimis Scriptoribus ſcripta leguntur Sympl. Campegius hæc enarrat lib. 3. hiſt. 7.

Nil ex Cãpegio colligendũ, & cur. Sed de his, quę Campegius aſſerit, non poſſumus aliquid colligere, quid facere poſſint aquæ prædictæ pro tertianibus febribus curandis, quia no-

noſtræ thermales aquæ prędictę, neque fermenti vicem gerunt, neque vt vinum optimum hauriũtur. Dixit vnico hauſtu à febre fuiſſe liberatum, & deindè continua, ſed non explicat, qua ratione, quo febris tempore, an vniuerſali, & per quam facultatem, ſeu proprietatem, & qualem operationem in corpore effecerit, vt liber à febre remãſerit; vt concitato ſudore, vel euacuatione, ſiue per aluum, ſiue per vrinam, &c. ceſſauit omninò febris, non explicat etiam ſi per qualitatem alexipharmacam cum bezuharticis medicamentis exhibitis, vt per ſudores obſeruauimus ægrotantes à febribus immunes euaſiſſe. Neque ab vna, vel paucis experientijs quid obſeruatione dignum elicimus nos vti experimento; quod multis conſtat experientijs confirmatum, neque tandem aſſerit Campegius, quod ſciam, an hauſtus illi fuerint poſt corporis euacuationes, & febrium cauſas emotas; vnde quid colligere non poſſumus, quod faciat ad hanc dubitationem.

Cum igitur neque pro alterandis humoribus, neque pro euacuandis exhibeantur, nil ex his, quę dixit Campegius concludere poſſumus. Neque noſtras thermales aquas in tertianis, & alijs febribus conferre exiſtimauimus, etiam ſi ſint temperatæ, quia in febribus alterantibus, vt refrigeren-

tur corpora, vel actu, vel potentia ſupra temperiẽ indigemus, eoquòd febris calor eſt extraneus, & præter naturam; neque competunt vt aluum ſoluentes, etiam ſi materia ſit in primis vijs, quia in principio febris vniuerſalis non eſt mouenda materia per vrinam, neque conuenit, vt aqua penetret in venas; quia cum cauſa febris antecedente permixta coctionem interturbaret, & permixta noceret, cum non ſit oppoſita æqualiter in gradu; & his de cauſis in febribus non eſſe conuenientes exiſtimauimus aquas ſupradictas.

aqua quã do conueniret. Quod ſi febris chronica euaſerit ratione alicuius viſceris phlogoſin patientis, vel ob aliquam derelictam obſtructionem, vel quid ſimile, poterit eſſe prædictarum aquarum conueniens adminiſtratio, factis tamen vniuerſalibus, & repurgato corpore, & tunc poterit eſſe earum vſus propter aliquem effectum à febre derelictum, & ſimul ad expurgandas morbi reliquias, aut propter obſtructiones, & cœtera huiuſmodi.

IOANNES CRISPO.

QVod aquæ thermales febribus conducere poſſint, paradoxum fortaſſis, & non rationabile quidem videbitur; re vera enim, quod

quod ſciam, nemo prouinciam hanc aggreſſus eſt, vt thermalibus aquis ad dirimēdas febres ſit vſus, neque rationes, & authoritates deſunt. Galenus enim 1. ad Glauconem cap. 9. dum de balneis in tertiana exquiſita dixerit. Balnea, inquit, fieri debere ex aqua potabili, tum quia aliquod bilis educunt, tum quia eorum qualitate plurimum iuuãt; humectant enim, & potentia refrigerant. Marinæ autem, ſalſæ, nitroſæ, atque ſulphureæ aquæ plus quidem bilis educunt, ſed multò minus quam potabiles proſunt; præſtat verò neque ipſas vtiles dicere; quaudoquidem plus qualitate nocent, quàm euacuationibus iuuant; & ſequitur Galenus hiſtoriam de illo, qui ex aquarum balneis in tertiana exquiſita adeò fuit extenuatus per totum corporis habitum, vt tabe conſūmptus obierit. Ex quibus patere poteſt, quod ſi thermales aquæ exterius adhibitæ vim adeò exiccantem habent, quod tabe conſumpti qui eis vtuntur, moriantur, quid ſi febrientibus potandas exhibeantur?

Sunt etiam rationes, vel enim huiuſmodi aquæ febribus conueniunt, vt alterantes, vel vt euacuãtes; febris quidem paſſio calida eſt, & ſicca, alterans remedium febris, erit frigidum, & humidum, ſed aquę thermales omnes calidæ ſunt, & ſiccæ; ergo, &c. Nec etiam vt euacuantes; quæcumque 1. Ratio.

enim

enim euacuant ſummo calore, & ſiccitate febribus competere nòn poſſunt, & licèt fortaſſis educeretur cauſa, augeretur tamen morbus; ita eſſent aquæ thermales, quæ aluum ſoluendo, & morbificæ cauſę partem educendo ob caliditatem, & ſiccitatem introductam, vt febrim augerētur, & putrida in hecticam tranſiret; quod ſi per exterius appropinquata tabem introducat, quanto magis ſi per interius aſſumatur.

2. Ratio. Amplius thermales aquę, vt Hippocrat. ait de aere aquis, & locis, durę ſunt, ęſtuoſæ; quæ difficulter minguntur, vnde facilè in prauos degenerant, & conuertuntur humores, & hac de re internarum inflammationum cauſę poſſunt eſſe potiſſimę.

His tamen non obſtantibus experientia eſt in contrarium, loquendo præſertim de hac aqua noſtra, quam temperátiſſimam declarauimus, & eā potiſſimum, quæ in Monaſterio Sanctæ Eliſabeth cōperitur, parum cū habeat de ſalſedine. Hoc in loco Oribaſij authoritate nos vti neceſſariam fore iudicauimus, vis enim, & facultas dicentis, aquarum thermalium ſola experientia comprehēditur; ipſi quidem ſoli, quàm infinitis credendum rationibus, nam ſenſum dimittere, & rationem quærere, eſt intellęctus imbecillitas, dicebat Ariſtoteles;

Oribaſius.

les; vt igitur illud idem experientijs monſtremus; hæc ſit hiſtoria. Febricitantem quemdam, vt curaremus nos accedentes duabus tertianis intermittentibus laborantem inuenimus, & factis venæ ſectionibus, inſtitutaque commoda victus ratione, ſerapijſque aſſumptis, vt medicamentum purgãs aſſumeret, inſtitueramus; quodcumque illud eſſet, & quauis conflatum forma renuit, acceſſiones verò eodem ſemper modo ægrotantem affligebãt; iuuenis erat, amarulentibus motibus præditus; tẽpus erat ęſtiuum, & ideò calidiora medicamenta recuſauimus. Petijt ſi hanc aquam ſanctam aſſumere potuiſſet; ſciebat enim ipſe nonnullos in febribus eam nauſiſſe, quod cum nunquam legiſſemus, neque in febribus aliquando ijs vſi fuerimus, primo occurſu ſletimus, & hæſitauimus; ſed reflexione facta, hanc potiùs aquam, quàm calida medicamenta propinare decreuimus, eoquòd temperatiſſimam eſſe cognouimus ob paucam eius ſalſedinem, & alias vires, atque in dyſenteria cum febri non contemnenda eadem vſi fuerimus, & cũ notabili iuuamento profuiſſe vidimus abſque vlla febris exacerbatione, & cum dyſenteria febrem etiam ceſſaſſe, & extinctam fuiſſe. Conceſſimus, aſſumpſit zucc. roſ. damaſc. ad vnc. ij. quod priùs aſſumendum impoſuimus, aſſumere non potuit.

Cur tertianario fuerit aqua propinata

Re

Re vera omne medicamenti genus abhorrebat, & reſpuebat, & cum libras ferè duodecim aquarum auidè potaſſet; eo tempore tamen quo liber, & inmunis erat à febri, cœpit poſt paucas horas alui ſolutio, & per alui ſeceſſus humorum expurgatio, nec non & per vrinam, & futura acceſſio duabus horis poſtpoſuit, acceſſit enim hora vigeſima ſecunda, quæ prius hora vigeſima; mane die ſequēti eamdem aquæ quantitatem ebibit, & iterū tertio die, vt ſupra. Decimo ſeptimo die penitùs à febre liber euaſit; & quod magis tumor quidam, qui in liene euidentèr apparebat, euanuit. Si velimus alios, qui hanc aquam ſumpſere febribus laborantes in medium adducere, tempus deficeret. Dicant pauperes huius Vrbis quoties eos à febribus huius aquæ vſus vindicarit, & nullo Medici conſilio, ſed ſpontè, quos deindè ſanos vidimus, & ex aqua nullam contraxiſſe læſionem obſeruauimus.

His ergo in hunc modum obſeruatis, quoties ęgrotantes quęuis medicamenta reſpuunt, aut pauperes exhauſtique ſunt humores, & gaudent hanc aquam aſſumere, dummodò febribus laborent intermittentibus, & quarum interuallum longum ſit, tutiſſimè ſæpiùs, & ſæpiùs ad hanc deuenimus aquam, & propinauimus; ſicut etiam quandò

prę-

præſatæ febres longæ ſunt, & diuturnæ, & quantum ſpectat ad tempus febris vniuerſale, præcipuè verò ſi corpus antea fuerit expurgatũ, ſolemus eam exhibere duabus horis ante (præcedente tamẽ humorum præparatione) vnc. ij. mannę elect. aut ſyrupi roſari ſolutiui tantumdem; & in mixtis ſpurijs, & longis febribus tantumdem mellis roſati ſolutiui, & poſt duas horas accipiat æger aquã, paulatine tamen, & parum deambulet in eadem domo de vna in partem aliam, parum ſedeat, & parum quieſcat, ſed non ita parum, imo magis ſedeat, quã deambulet, ne ſuperfluo motu corpus incaleſcat, imo vt magis aqua deſcendat ad inferiora, neceſſarium videtur: vt hinc inde ſe exagitet æger, aliter enim percurrens aqua per iecoris partes, venas, & alia viſcera in corporis ambitum abibit, vt multi ſudores inde excitati demonſtrare ſolent, et multoties obſeruauimus, poſt tres horas ab aſſumpta aqua, & ſit ante futuram acceſſionẽ, prandium per quatuor horas.

Continuis tamen in frebibus numquã propinauimus, nec propinandam putamus; primo quia laborantes febre continua non debent, neque poſſunt hinc inde moueri, ſeu ſine detrimento deambulare. Secundo aqua illa ſtatim à uenis ſuper calefactis attraheretur, & ab ijs etiam quæ ſunt in cor- An in continuis.

 poris

poris habitu, nec aluum peteret. Tertio quia præ copia, & multitudine poſſet magis accendi febris. Quarto quia in febribus intermittentibus poterit aqua ad putredinis focum penetrare, & focum extinguere. At in continuis in quibus humores in venis putreſcunt, ſi ad eas penetrauerint, obſunt, quia focum non exſtingunt, & coctionem impediunt, ſi meatus penetrauerint obſunt, aut quantitate, aut qualitate, eo quod non erit proportionatũ alterans, vel euacuans auxilium.

An in quartana

Quartanis in febribus pluries exhibuimus, & pluries; & felici cum ſuceſſu exhibuimus, ægroti qui erant, viuunt, quos poſſemus recenſere, & parentes affirmant, cognati, affines, & alij, monemus tamen vt exhibeatur diebus ſaltem elapſis quadraginta, & inſuper præcedente humorum præparatione, & purgatione, nec illa propinetur aqua, quæ extra vrbem Sanctorum Coſmæ, & Damiani nuncupata, ſed illa, quæ in Monaſterio Sanctæ Eliſabeth reperitur. Propinetur tribus diebus non continuis, ſed interpolatis in die, quę acceſſionem pręcedit, & ſecunda vice expectetur etiam dies alia, quę acceſſionem præcedit, ſimiliter & tertia vice, vt ex dicendis clarius apparebit. Et ante aquam exhibendam per duas horas ſerapij de polipodio, aut ad melancholiam vncias duas propinemus,

nemus præparatis prius humoribus quartanam facientibus; obſeruauimus enim non ſolùm quartanam breui tempore ceſſiſſe, ſed etiam tumores lienis defeciſſe. Verum in lienis tumoribus abſque febre illam Sanctorum Coſmæ, & Damiani potandam eſſe cenſemus, quia faciliùs tumores abſumit, vt pluries periculum fecimus.

Hinc Galeni diluuntur authoritates, valent enim de thermalibus calidioribus aquis, & ſiccãtibus, vt ſunt aquę marinæ, maximè ſulphureæ, nitroſæ, & huiuſmodi; ſed hæ noſtræ thermales aquæ ſunt haud in ijs excedentes, imò neque ſalſæ, ſed ſubſalſæ, & temperatę, quia neque exquiſitus ſenſus earum vim ſulphuream odore, vel ſapore nitroſam diſtinguere poteſt, eo quòd inſenſibilem, & exquiſitè permixtam habent, ex argẽti fodina facultatem & acquirunt, quam ab effectu potiùs, quàm à qualitatibus occultis conijcimus, vt de alijs etiam ſcribunt Auctores. Solutiones rationum.

Hyppocratem dicimus de aquis loquutũ fuiſſe, prout alimentum ſunt, & potus, non autem de medicamentoſis, neque nos his vtimur aquis, niſi tantum in quantum medicamenti rationem ſubeunt, & vt tales conuenire in morbis, vt cauſam euacuantes temperantes, &c.

DISTINCTIO SEXTA.

Digreſſio.

Quo tempore, ſiue die in quartanis ſint exhibendæ, & conſequenter de medicamento purgante.

IOANNES CRISPO.

An in quartanę principio.

CVm quartanis in febribus hanc aquam propinandam eſſe dixerimus, & per plures dies aſſumendam; meritò nunc poſſet aliquis inquirere, quo tempore, quave die, & hora, & prima vice propinanda ſit; ſimiliter etiam ſi ſecunda, & tertia vice, aut pluribus diebus, & vicibus ſit aſſumenda.

De tempore, an exhibendum ſit medicamentum ſolutiuum, vel lenitiuum in principio vniuerſali quartanæ. Nonnulli iuniorum in principio lenitiuum exhibent, vt materia minoretur, & corpus emundetur, licet non deſint alij, qui quadrageſimum expectant diem. Verum in quartana ſolutiuum medicamentum nunquam propinandũ eſſe, niſi ſignis coctionis apparentibus affirmant haud contemnendi Doctores, & benè pręparatis,

ac

ac repetitis vicibus humoribus, quia valdè craſſi ſunt, rebelles, atque ferini quartanam facientes. Verum aquę Sanctæ Eliſabeth, vel alia eiuſmodi conditionis non detur, ſeu propinetur in quartanę principio vniuerſali, ſed præteritis diebus quadraginta, & alijs purgationibus repetitis, eſt enim diuretica, & tunc præſentaneum videtur auxilium eſſe, ſed ſi quartanarijs complicatæ fuerint obſtructiones, poſſumus vti ea, quæ dicitur Sanctorum Coſmę, & Damiani, & ita ferinus humor ille, qui vt plurimum medicamentis non cedit, aqua prædicta temperatur, miteſcit, & quod magis putredinis focus abſumitur; pars affecta, in qua melancholicus aggregari, & conſeruari ſolet humor temperatur, roboratur, & ſimul obſtructi meatus aperiuntur, vt notatum eſt ſupra. Sed quod magis nunc vrget eſt, vt videamus quo die, quauis hora propinanda venit; diſcordes ſunt hac in re practicantes. Seniorum multi, & eruditiſſimi viri medicamentum purgans in quartana præcipiunt exhibendum eſſe in die paroxiſmi, & eo imminēte, quod etiam Amathus Luſitanus vir ingenioſiſſimus probauit; ipſe enim cent. 1. ſchol. 8. catharticum medicamentum tribuit quartanarijs die paroxiſmi, & eo imminente, quod multis ſuadet.

Quo die, & hora.

Primo,

Primo, quia craſſi, viſcidi, & tenaces humores
Luſitani rationes. 1. ſunt euacuationi rebelles, & tales ſunt in quartanis humores peccantes, & addit etiam in tertianis ſpurijs. Optimo conſilio, inquit, die afflictionis expurgantur, præſertim, ſi paroxiſmi à prandio inuadant. Adducit Luſitanus. Arculanum de ſeipſo
Arculan. hiſtoriam narrantem, addi poterit, quod ante eũ idem dixit Auicenna ſen. 1. quar. cap. 12. cui titulus eſt (Confectio olei boni ad ſedandum rigo-
Auicẽna. rem) vbi agaricum dare mandat Auicenna, nec tantùm agaricum, ſed etiam hieram, diacitonitem, diapheniconem, & quod magis admirari eſt, inquit Luſitanus pilulas fœtidas, quę omninò euacuant, & aluum ſoluunt, quibus medicamentis ſubiungit Luſitanus Gentilis, etiam de Fulgineo vſus eſt in tali caſu, imò idem Gentilis cap. de cu-
Gentilis. ratione vniuerſali febrium putridarum meminit in die paroxiſmi ex mente Mauri euacuationem moliri poſſe.

2. Adducit etiam Luſitanus aliam rationem, quę in hunc modum efformari poterit, eò tunc debet materia ſecundum artem expurgari, quando magis agitatur, ſed die paroxiſmi magis agitatur; ergo die paroxiſmi debet expurgari; quia facilior eò tunc ad expulſionem eſt, & parata. Hanc rationem
Hyppoc. Luſitanus inquit, contemplatus eſt Hyppoc. lib.

de

Digitized by Google

de aſſectionibus, vbi ſic aſſerit. Si verò quartana appręhenderit, ſi quidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpoſitis tribus, aut quatuor diebus pharmacum ſurſum verſus purgãs dato in ipſa appręhenſione, & interpoſitis diebus rurſum aliud deorſum purgans dato in ipſa appræhenſione. Ecce, dicit Luſitanus, quod Hyppocrates in die appręhenſionis, ſiue paroxiſmi pharmacum deorſum purgans dare mandat. Nec confugiendum eſt, inquit, quod liber de aſſectionibus non ſit Hyppocratis, ſed Polybi, vt Galenus aſſerere videtur, cum & Polybus vir fuerit doctiſſimus, cui hac in parte fides eſt habenda, & ampla, quia id, quod longa tractauit experientia, non deficienre ratione litteris mandauit, quem multi conſequuntur, inter quos Luſitanus recenſet Alteretum publicum apud Salmaticenſes Medicinæ profeſſorem, eoquòd non tantum materia pellitur antecedens, ſed etiam quæ coniuncta dicitur. Neque timenda erit humorum miſcela, putridorum ſcilicet cum bonis; neque motus pharmaci contrarius humoris motui; neque materia in ipſa exacerbatione commota; ex quibus omnibus concludit pharmacum in quartanis febribus propinãdum eſſe quatuor horis ante paroxiſmum, non autem in ipſa appręhenſionis hora, vt pręcipit Hyppo- Alteretus

po-

pocrates, & poſt ipſum cæteri Medici. Hæc Luſitanus.

1. ratio. Poſſunt eſſe & aliæ rationes, videlicet multas euacuationes tentat natura in paroxiſmis, & febriũ acceſſionibus, quas Medicus adiuuare poteſt etiã in febre quartana, ergo poterit etiam per medicamenta per inferius ducentia. Probatur antecedẽs Auicenna in curatione quartanę, & propriè in paroxiſmo vomitum inſtituit, quem etiam Raſes commendat 16. continentis cap. vltimo, cuius rei cauſam aſſignat, quia tempore paroxiſmi turbati ſunt humores, quo fit, vt facilè per vomitum poſſint expelli; ſi ergo turbati facilè per vomitum expurgantur, ita etiam & per ſeceſſum, cum ſæpè natura vtramque viam eligat ad expellendos noxios humores in principio acceſſionis. Vomitum in paroxiſmi principio quartanæ ferè omnes inſtituunt, Arculanus, Vgo Senenſis, Gentilis, Marſilius Colteus, Conciliator, Ingraſſias, & omnes ferè iuniores, ac præter vomitum multæ aliæ etiam per ſeceſſum à natura tentantur euacuationes, & à Medico etiam, vt per ſudores, per frictiones, inſenſibiles euacuationes, cur igitur per ſeceſſum ducentibus medicamentis non vtemur?

Vomitus in principio acceſſionis.

aliа ratio. Amplius ſupponendo prius, quod humor febrim faciens, tunc deduci debeat, quando conco-

ctus

ctus eſt, atque preparatus, totum hoc accidit eo tempore, quo ſegregatus eſt humor, & à portionibus alimentalibus ſeparatus; per concoctionem enim, vt dicitur in nocitiuo hoc habetur, vt humor ſit naturæ obediens; facilis etiam ad expulſionem cum ſit ſeparatus. Quo poſito. Tunc in quartana debet fieri euacuatio peccantis humoris, quando peccans humor eſt in motu ſegregatus, & ſeparatus ab alijs, ſed in principio paroxiſmi nigra bilis eſt in motu; expellitur enim de venis extra, ſeparata, & à cæteris humoribus ſegregata, mouetur, & agitatur, erit ergo in principio paroxiſmi euacuanda, qua ratione nihil impedit, quin etiam alijs in febribus per circuitum repetentibus in acceſſionis initio pharmacum deorſum purgãs non competat.

Item ſicuti non inconuenit in paroxiſmis febrium putridarum continuarum exhibere medicamenta per aluum ducentia, ita neque deberet eſſe inconueniens in febribus interpolatis. Cum igitur in febribus continentibus, ac alijs, quas proportionales vocant Auctores medicamenta purgantia demus in ipſis paroxiſmis, cum non ſit tempus extra paroxiſmum, ergo multò magis in febribus intermittentibus, precipuè quartanis. 3. ratio.

Tandem Medicus ea aſſequi poteſt, quæ ſolet 4. ratio.

Ee natura

Digitized by Google

natura facere; ſed natura ſæpiſſimè in paroxiſmi principio tentat per aluum, vt in ſimplici tertiana frequentiſſimè obſeruatur à Medicis, & diebus imparibus tanta bilis copia per ſeceſſum expurgatur, vt educta cauſa quinta, vel ſeptima die febris receſſerit; ita & Medicus poterit euacuationẽ inſtituere.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Difficultatis ſolutio.

ANtiquiſſima fuit hæc difficultas, vt ex Sauanarola colligitur cap. de curatione quartanarum, vbi ſic habet. Quidam dederunt in paroxiſmi principio medicinas fortes melancholiam educentes, & ſimiliter in principio principij, & eis benè ſucceſſit, quos minimè ſequi debes. Vnde dicebat Auicenna in curatione quartanæ cap. 63. Sed eſt rectum ab errore, ideſt Medicus ſic operans cum errore regitur, uel ſe erroneè rexit; ſicut duci exercitus aliquando erranti benè ſuccedit, non tamen laudandus, & ita ſi liber quis euaſit à quartana, caſus fortuitus fuit, & indiuidualis, quoniam in alijs deteriùs accidit.

Sauanar. Auicẽna

Arculan. Arculanus ſuper Auicennã lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap.

cap. 2. (Et non minores in die paroxiſmi aliquid, quantum poſſibile eſt tibi) dubitat ſi Medicus debeat euacuare in die paroxiſmi, & multis probat argumentis id fieri poſſe, quæ omnia poſtea ſoluit, & ad confirmationem ſui textus argumenti adducit. Quod multi Medici in quartana inchoante acceſſione, ſeu paroxiſmo præcipiunt euacuationem. Reſpondit, & inquit. Quod licet aliquando benè ſuccedat, imò hoc modo curaui me ipſum à quartana; vt plurimum tamen non benè ſuccedit, & maiora ſequuntur nocumenta, quàm iuuamēta; & fortaſſe ipſi Arculano etiam ſi benè contigiſſet, nocumenta fuerunt indè ſubſequuta, & ideò medicamenta ſolutiua non laudauit; nàm in cap. 65. de cura quartanæ in quæſtione illa. An in die paroxiſmi conueniat vomitus; ad tertium argumentum reſpondet ſimul cum Gentili, & inquit, quod non eſt ſimilitudo, & paritas de vomitiuo, & ſolutiuo exhibito ante paroxiſmum, quia non potes regulare pharmacum tuum, & dicere, agas hoc antequam paroxiſmus ſuperueniat; neque præcipere potes, vt agat in motum humorem, & non in alium, imò aget in omnem humorem, & erit magna commotio, ſeu turbatio humoris eius, qui cum pharmaco non concurrit ad euacuationem. Vnde concluſit tutius eſſe in die quietis ſolutiuum

Diſparitas inter vomitum, & ſolutiuū medicamētū.

exhibere, quod etiam affirmauit Hugo Senenſis loco ſupra cit.

Coſteus. Coſteus ſuper Auicenn. (& non moueas in die paroxiſmi;) ſic habet. An verò in quartanis febribus purgare liceat, quod multi noſtra tempeſtate contendunt, res eſt exactè perpendenda, obſeruatum eſt id ſæpè rectè ceſſiſſe humoribus, ſcilicet ijs melancholicis, craſſis auulſu difficillibus, tum medicamentis, tùm naturæ motu concitatis, & expulſis. At ſæpè numero tamen non craſſi tantũ, ſed omnes promiſcuè humores, & tenues, relictis craſſis violentia, non naturæ conſilio excernuntur; deprehenſum id quoque fuit morbum ex leui, & minimè moleſto, difficilē, & periculoſum euaſiſſe, & propterea Galeni, & Auicennæ conſilium negligere tutum non eſt.

Auicēna. Verùm Auicenna non ſolũ in paroxiſmi principio medicamentum dari vetat, & prohibet, ſed etiam ea die, quà paroxiſmus expectatur, vnde dixit Hyppocrat. vniuerſali regula in acceſſionibus ſubtrahere oportet, nam cibum dare nocuum eſt, ergo & multo magis nociuum erit, ſi medicamẽtum exhibeatur, & in febribus, in quibus per circuitum fiunt acceſſiones, nam in ipſa acceſſione abſtinere oportet. Et primo acutorum tex. 46. non ſolùm in ipſa acceſſione cibum prohibet, ſed per ali-

aliquod tempus ante futuram acceſſionem, & 4. acut. 39. cum autem inquit, purgaueris ſorbitionibus vtitor obſeruatis ita febrium acceſſionibus, vt nunquam cum adſunt, neque cum futuræ ſunt medicamentum exhibeas, ſed vel cum ceſſarint, vel quieuerint, & maximè à principio receſſerint.

Ex quibus locis deduxit Auicenna, & dixit. Et prouidè ne occurras paroxiſmo, niſi ventrem habeat vacuum, & non moueas in die paroxiſmi aliquid quantum poſſibile eſt tibi, & lib. quos, & quando oportet ſcribitur. Acceſſiones quoque quomodo euacuandum ſit docent, nam dum acceſſio infeſtabit, è ſuperioribus educes, vbi deſtiterit, quod tempus intermiſſionem dicimus, ab inferioribus trahes, nullo ergo modo in die paroxiſmi, quando futura eſt acceſſio, dandum erit medicamentum, quia eo tunc natura paratur, vt per ſuperiora educat. Et licet prædictus liber non ſit Galeni, eſt tamen Oribaſij.

DISTINCTIO OCTAVA.

Soluuntur Luſitani rationes.

AD primum ſunt in quartanis febribus humores viſcidi, craſſi, & euacuationi rebel-

les,

les, ſicut etiam in tertianis ſpurijs; non tamē hinc ſequitur, quod optimo conſilio purgari debeant in die afflictionis, præſertim ſi à prandio ſumantur, ſed potiùs oppoſitum, quia priùs optimè pręparari debent, & tempore quietis, & non futurę acceſſionis expurgari, nè duplici motu, eoque cōtrario ſimul, & ad ſuperiora, & per medicamentū ad inferiora cum maxima naturæ turbatione moueātur. De Arculano ſupra dictum eſt. Probauit ſententiam Luſitanus ex verbis Auicennæ fen. 1. 4. cap. 13. cui titulus eſt, Confectio olei boni in die afflictionis ad ſedandum rigorem, vbi Auicēna remedia poſuit, & exteriùs, & interiùs ad rigorem ſedandum. Rigor enim aliquando ita fortis eſt, & vehemens, vt ad ſe trahat omnem curationem, etiam ſi ſimpthoma ſit, & maximè ſi ob illam triſtem ſenſationem facultates reddantur imbecilles. In forti igitur, & vehementi rigore, ſiue cum febri, ſiue ſine febri multa poſuit remedia, vt extremarum partium ligationes fortes, inunctiones cum oleo anethino, chamomelino, radicum lilij albi, quibus oleis addi poterit cardamomum, caſtoreum, rutha, ſthæcados, abſinthium, abrotanum, chalamentum, piper piretrum. Amplius linimentum addit ex ſinapi, aſſagummi, aqua erucæ, & c

Cur non die paroxiſmi.

Ad rigorē remedia quādo

De-

Deindè remedia poſuit interiùs aſſumenda, & inquit, quod omnes medicinæ fortiter ſudorem prouocantes, ſedant etiam & rigorem, vt eſſet Theriaca, Mitridatum, &c. & inter alia poſuit agaricum præparatum, ſi ſcilicet ſumatur agarici pręparati aureum vnum, ideſt drac. j. & ſem. cū aqua calida; eſt enim agaricus in rigore valdè iuuatiuus, cui aliquando miſcetur opij parum, vt dormiat æger, ſudet, & rigoris uehementiam inhibeat, quæ omnia poſuit Auicenna ad rigorem fortem compeſcendū, & ante paroxiſmum, uel ſtatim in principio paroxiſmi inſtituenda, non autem vt medicamentum ſolutiuum, curat enim Auicenna accidens quartanæ, quod rigor eſt intenſus, morbi rationem ſubiens, & hac de cauſa nos inſtituere ſolemus diatrion pipereon, methridatum, theriacā, ariſtolochiam, ex Dioſcoridis præcepto, mirrham, agaricū, & ſimilia quæ facultatem habent humores craſſos diſſecandi, attenuandi, calefaciendi, & rigorem extinguendi.

Quę ſudorē prouocant, rigori obſunt.

Agaricus ad rigorem.

Dum hęc ſcriberem in mentem mihi venit id, quod olim Vincentius Caprilis Medicus ſcripſit ad Ioannem Manardum in Epiſt. 5. lib. 9. qui myrrham, & agaricum nulla alia ratione dari putabat ante febris acceſſionem, niſi vt humorem febrim facientem expurgaret, cui Manardus in

Manard.

hunc

hunc modum reſpondet. Sed caue quæſo mi Vincenti, ne dum hæc dicis magnæ medicinalium regularum inſcitiæ Dioſcoridem inſimules, norunt enim, qui vix prima medicinæ rudimenta didicere, non ſolùm ante acceſſionem; ſed nec eo die, quo futura timetur acceſſio, humores, qui febrim faciunt eſſe purgandos. Reſpondeo igitur petenti tibi, nè à proprij humoris vento, vt ait, inflatus, ſed veritatis vi; non alia re impulſus, Medicos agaricum, & rheonante acceſſionem prębentes non ad purgandum, ſed ad rigorem prohibendum dare; ſicuti & coſtum, & piper, & laſer, atque id genus mille, quod & ipſius Dioſcoridis verba apertè oſtendunt: De agarico ſcripſit ita ante acceſſionem datum rigorem ſoluit, præſertim cum de purgaroria eius mentionem non feciſſet, de qua poſtea verba faciens ſubdit. Purgat & ventrem vnius, vel duarum dracmarum pondere cum melicrato potum; qui loquendi modus declarat eas, quas hactenus dixerat in diuerſis morbis vtilitates, non à purgatoria vi, cuius non dum meminerat; ſed adſtringente, vel calefactoria fieri. Hæc Manardus.

Dioſcor. de Agarico ad rigorem.

Gentilis verò loco cit. dubitationem proponit, quomodo Auicenna præponat agaricũ in principio paroxiſmi, cum ſit de medicinis ſolutiuis,

Gentilis dubitationes.

& ſe-

& ſecundo dubitat, quomodo opium ſudare faciat; & dixit ad primam agaricum non dari in principio acceſſionis quantitate, qua ſoluat; ſed in minori doſi, calefacit enim, attenuat materias craſſas, & eas ad vomitum excitat, & irritatio eſt vtilis, & propriè in principio quartanæ. Ad ſecundam dicit, quod opium per ſe ſudare nō facit, ſed prouocando ſomnum, vel remittendo rigoris punctionem, qua virtus terrebatur ob illā concuſſionem corporis, vel dicendum, quod hoc compoſitum ex agarico, & opio, prouocet ſudorem per agaricum, & per opium faciat ſomnum. Conſidera ſi Auicenna exhibet agaricum in principio acceſſionis, vt per ſeceſſum expurget. **Opiū qua ratione ſudorem mouet.**

Luſitanus verò nō ſolùm agaricū, ſed diacitonitem diaphænicum, ac pilulas fœtidas exhibet, quæ fortia ſunt, & aluum ſoluunt ex verbis Auicennę, videlicet: Et ſolutio ventris cum eis, quæ ſunt, &c. quæ verba ſic Gentilis expoſuit. Quod hæc ventris ſolutio intelligi poteſt ſedato rigore, & non in actu rigoris, & poteſt intelligi, quod dentur iſta ſolutiua ſtante rigore, quod eſſet, quando ex rigore magnum adeſſet periculum, videlicet ſuffocationis caloris, aut debilitatis virtutis, & non eſſet alia via pro ſedando rigore, cæteris priùs factis medicamentis, & non euacuatione, quod ſe- **Gentilis expoſitio**

Auicēna curiùs fieret, ſi non eſſet febris; & Auicenna inquit, quod quando paruus eſt rigor laborioſus, & propriè ſine febri detur in potu pilulæ fætidę, quoniam ipſæ ſunt ſanitas eius. Ex his tantùm abeſt, vt Auicenna tribuat in principio acceſſionis quartanæ medicamentum, vt potiùs oppoſitum, eo quod ibi tantum rigorem curat, qui ſubit morbi rationem, eò quod antiquitus ſepiſſimè rigor erat ſine febri factus, vt inquit Gentilis, à phlegmate vitreo, qui forti indiget medicina, & ideò ad rigorem intenſiſſimum finiendum ſine febri preſertim, vt inquit Auicenna pilulæ fætidę propinari poſſunt, & ipſæ ſanitas eius erunt.

Rigor aliquando morbi rationem ſubit.

Gentilis. Gentilis in capite de curatione vniuerſali febrium putridarum meminit ex mēte Mauri, quod in die paroxiſmi euacuationem moliri poſſit, ſed hoc quod Luſitanus affert, veritatem non habet, quia Maurus in commento 2. aphor. primę particulæ, licèt pharmacum tribuat in hora motus humorum, non tamen exhibet in hora paroxiſmi, quæ eſt hora motus humoris præter naturam, ſed medicamentum exhibet in hora motus humoris naturalis, faciendo de die quatuor partes, in quarum qualibet quarta parte mouetur vnus humorum; ex quibus videas ſi ex mente Mauri ſuadeat Gentilis in paroxiſmi principio euacuationē moliri

Maurus explicatur

ri poſſe, vt ſibi confinxit Luſitanus; Gentilis autem cap. 59. ſupra dicti libri ſuper illa Auicennæ verba: Et ſi Medicus iam præſumpſerit, & ſolutione eduxerit ſecundum ſuam intelligentiam melancholiam in principio aliquoties ſolutione forti, & prohibuit ægritudinem penitus. Rectus eſt ab errore: vult ergo conſiderandum ex dictis verbis Auicennę Gentilis, quod in principio paroxiſmi prohibuerit pharmacum ſolutiuum, nec non & in principio vniuerſali, quod digeſta materia propinari debet. Si ergo Medicus in principio paroxiſmi dabit medicinas fortes, & ęger liberatus fuerit, eſt rectus ab errore, & caſus ille fortuitus erit, & indiuidualis, & fortaſſis cum alia mala ſubſequuta diſpoſitione, quam non habuiſſet ſi methodicè, & cum ratione curatus fuiſſet ęger.

Si bene ex ſolutione ſuc ceſſerit in die paroxiſmi, ſolutio proceſſit ex errore

Ad aliam Luſitani rationem, quòd debeat humor expurgari, quando magis agitatur, vt in die paroxiſmi. Dicimus talem rationem nihil concludere, quia in omnibus febribus ſi purgandũ eſſet; deberet exhiberi in die acceſſionis, & in tertianis die impari, quia eo tunc magis agitatur humor, etiam in intermittentibus, in quibus mouetur humor de centro ad circumferentiã; ſequeretur enim ex aſſumpto medicamẽto totum oppoſitum motus ſcilic. de circũferentia ad centrũ, & eſſent ſimul, &

ſemel duo contrarij motus, & maxima naturæ turbatio, & ægrotantis afflictio.

Cõfeſſio Auctoris

Fatemur enim ex quo medicinam fecimus bis in hunc errorem incidiſſe, vt pharmacum propè acceſſionis principium in quartana exhiberemus, iſtorum doctrina prima fronte imbuti labores, magis aucta ſimptomata, & ęgrotantium anguſtias, ac longiores quartanas non ſine vitæ periculo ſubſequutas conſiderauimus, qua de cauſa doctrinam hanc ventilantes non ſolùm Hippocrati, Galeno, & Auicennæ, ſed etiam alijs non ſpernendis Doctoribus aduerſiſſimam adinuenimus, Magni facit Luſitanus ſuam opinionem ex ijs, quę ſcripſit Hyppocrates lib. de affectionibus, vbi dicitur, quod medicamentum in quartana deorſum purgans detur in ipſa apprehenſione, ſed notare debebat etiam Luſitanus id, quod ſcripſit Hyppocrates lib. 1. de morbis, vſu obſeruandum eſſe ægrotantes, quibus imparibus diebus ſoluentia medicamenta fuere exhibita, vbi antiquos Medicos errore damnat, & per dies impares dies acceſſionum intelligit, quo tempore concitantur humores, & ad ventriculum è toto corpore tranſmittuntur, ſi à medicamento in principio acceſſionis exhibito magis concitentur, nonnè periculũ erit, vt moriatur æger. Dicet fortaſſis Luſitanus non

eſſe

eſſe Galeni, vel libros Hyppocratis, ſed hoc nihil refert, cum ſit ad eorum mentem doctrina, vt ſupra dictum eſt, vtcumque ſit. Dicimus ſuſpectam eſſe illam Hyppocratis authoritatem, cum paulò antea dixerit eodem lib. Tertiana febris cum apprehenderit, ſiquidem videbitur tibi non purgatus eſſe quarta die, pharmacum dato; ſi verò pharmaco non videtur opus habere, medicamenta in potu exhibito, quibus febris aut tranſmutetur, aut deficiat, & addidit. Et in apprehenſione quidem ſorbitione, & potu nutrito, interpoſito verò tempore cibis per aluum eccedentibus; apprehendit plerumque non ita ſæpe. Quæ omnia paradoxa videntur, quia vult, vt in ipſa acceſſione ſorbitione, & potu nutriantur ægri, & interpoſitis diebus, poſtea vt cibis per aluum ſubducentibus vtatur. Meritò igitur dubitauit Galenus, an liber ille ſit Hyppocratis. Vtcumque ſit ſcribitur ibi. Si verò quartana apprehenderit, ſiquidem impurgatus fuerit primum caput purgato. Neſcimus qua de cauſa quartanarij ſint primo capite purgandi. Sed hoc obiter, & interpoſitis tribus, aut quatuor diebus pharmacum ſurſum vergens dato in ipſa apprehẽſione, & de hac re diximus ſupra. Quod verò vomitiuum in principio quartanę vniuerſali, & in principio paroxiſmi poſſit exhiberi, tranſeat, ſed

Gẽtilis dubitatio.

quod

quod interpoſitis diebus rurſum, aliud deorſum purgans ſit dandum in ipſa apprehenſione, claudicat hæc doctrina. Luſitanus tamen interpretatur, quod catharticum medicamẽtum in quartana debeat dari in principio acceſſionis, & hinc colligimus, quod liber ille non ſit Hyppocratis, quia ſibi ipſi contradiceret, & dato quod ſit Polibi, fortaſſis locus erit mendoſus, & vbi deorſum habetur, fortaſſis dici deberet ſurſum, vt interpoſitis diebus, liceat vomitorijs vti in quartana; & adde cũ multi ſint Hyppocratis libri, in quibus ſunt multa ab ipſo Hyppocrate aliena, vel mutilata, ſeu deprauata, ideò non leguntur, vt Galenus notat, & teſtis eſt Ermãnus vetuſtiſſimus verborum Hyppocratis interpres.

vomitoria in quartana

Quod ſi velit Luſitanus affirmare librũ ab Hyppocrate editum eſſe, & locum non mendoſum, & indè velit, quod pharmacum deorſum purgans in quartana, dari debeat in ipſa apprehenſione. Dicitur Hyppocratem per apprehenſionem non intellexiſſe principium acceſſionis, tempus ſcilicet, quo quartana apprehendit, ſed omne tempus febris quartanæ, vel tertianæ, quo durat, & perſeuerat; ſic enim aſſerit, Tertiana febris cum apprehẽderit, quarta die pharmacum dato, & iterum & in ipſa apprehenſione ſorbitione, & potu nutrito,

Apprehẽſio quid apud Hyppocratẽ.

& ite-

& iterum apprehendit autem plerumque non ita ſæpe, &c. ex quibus verbis ſatis euidenter patet Hyppocratem apprehenſionis nomine non acceſſionis principium, ſed totum tempus intellexiſſe, quo quis tertiana, ſiue quartana apprehenditur. Vnde pro huius rei confirmatione adduci poteſt id, quod illius libri Auctor adduxit, videlicet, apprehendit autem hæc febris plurimos multo tempore, alios verò pauco. Per apprehenſionem igitur totum tempus intelligit, quo quis quartana, vel tertiana afficitur, & ęgrotat, ſiue multum, ſiue paucum fuerit tempus, & ita benè intelligi poſſunt ea, quæ ſcripſit, nempè & in ipſa apprehenſione ſorbitione quidem, & potu nutrito, quarta die pharmacum dato, & ſimiliter ſi quartana apprehenderit pharmacum ſurſum vergẽs, vel deorſum purgans dandum eſt in ipſa apprehenſione.

Conſueuit Hyppocrates, ſiue Polibus libri Auctor nomine apprehenſionis totum ęgritudinis tempus intelligere, in lib. de morbis de quartana, ſcribit ita. Cum febris quartana ex alio morbo non purgatum apprehenderit, & lib. de affectionibus num. 12. Teneſmus vbi apprehenderit ſuccedit ſanguis, ac mucus, & num. 2. Voluulus cũ apprehenderit, & alibi etiam; per apprehenſionem igitur totum ægritudinis tempus intelligit, & non acceſsionis initium.

Tan-

Tandem quidquid dixerit Alteretus publicus apud Salmaticenſes Medicinę profeſſor, si verum eſt quod attulit Lusitanus : Non tamen ob eius dicta relinquendi ſunt Hyppocrates, Galenus, Auicenna, & alij Doctiſsimi Viri.

DISTINCTIO NONA.

Soluuntur aliorum rationes.

AD primam dicimus verum eſſe moliri naturam in paroxiſmi principio multas euacuationes; ſed non debet Medicus omnes adiuuare, licet enim eas, quæ per vomitum, aut per inſensibilem euacuationem benè poſsit adiuuare, nō tamen eas, quę per ſeceſſum fiunt; tentat enim natura frequentius per vomitum, à quo si deficiat, poterit Medicus adiuuare vomitionem, vt etiam in tertianis ſpurijs, & alijs etiam exquisitis, vt quartanis etiam propter lienis cum ore ſtomachi communicantiam, quam habet mediante vena, quæ melancholicum differt humorem ad os ventriculi, ſed non ex hoc inferendum, ergo per ſeceſſum in acceſsionis principio eſt pharmaco ſoluendus humor, eò quod duo motus oppositi, & vehementes simul eſſent, vt dictum eſt, quos na-

tura

tura ſufferre nequit. Neque à pharmaco poteſt euacuari cauſa coniuncta, cum fuerit à natura materia ad corporis habitum, & ad ſentientes corporis partes tranſmiſſa, & ita per pharmacum motus illius eſſet ad contraria loca. Neque per pharmacũ educi poterit cauſa antecedens, quia tunc eſſet magna corporis commotio propter vtramque cauſã, & coniunctam, & antecedentem, & in principio paroxiſmi cauſa antecedens ægrotantem non moleſtat, neque eſt in motu, vt expurgatione indigeat. Neque Medicus, quia naturã in prouocando vomitu ſeſe exonerat, poteſt, aut debet per aluũ ſubducere, quia vomitus eo tunc accidit ob humorẽ irritantem, & naturam ſtimulantem. Adiuuat Medicus vomitum, vt per vomitum noxius expellatur humor, & inde quieſcat natura. Vomitus inſuper regulari poteſt à Medico, non autem pharmacum ſolutiuum. Neque dicere poterit pharmaco, ſolue antequam accidat paroxiſmus, vel age contra humorem motum, & non alium, vt aſſerit Gẽtilis ſuper Auicenna cap. 59. ſen 1. 4. lib.

Ad ſecundam rationem dicimus, quod tunc debet expurgari noxius humor in febribus, quãdo eſt ſeparatus ab alijs, ſeparatione facta per coctionẽ, & naturę victoriam, ſed non in principio acceſſionis, ſed tempore quietis. Qui vero in acceſſionũ

Tempus expurgationis.

initijs, expurgatur humor à natura irritata expellitur, & fortaſſis erit cauſa febris vehementioris, & concomitans expurgatio.

In continuis medicamētum in hora quietiori.

Ad tertiam dicimus diſparem eſſe rationem de continuis, & intermittentibus; cogimur aliquando medicamentum dare in acceſſione, ſed non in principio, ſed in hora quietiori, & commodiori, ſed in febribus interpolatis habemus tēpus quietis, interpolatæ febres periculo vacant; cogimur in continuis ob vitæ periculum, & fortaſſis imminens.

Medicus quādo debet imitari naturā.

Ad vltimam dicimus, quod vtique Medicus debet imitari naturam, quando natura ſecundum ſe operatur. Quando in acceſſionum initijs mouet per ſeceſſum, motus ille non eſt ſecundum ſe, ſed propter irritamentum tunc operante natura; ſtimulata enim aut humorum multitudine, aut praua qualitate mouet, & ſi ſuperior erit, benè agit, non tamen Medicus, quia mediante pharmaco, & cœteris medicamentis agit; at illa ſuperior, & tamen multoties non benè agit, quia ſunt ſæpè ſympthomaticæ euacuationes, & irritata natura non ſpontè mouente, ſed veluti coacte.

DISTINCTIO DECIMA.

Quo die aqua S. Eliſabeth quartanarijs propinari debeat, & quomodo.

TEmpus erit opportunum, ſi medicamentum diſſolutiuum, iuxta doctrinam Auicennæ, poſt paroxiſmum per diem propinetur; quod erit tertia dies à paroxiſmi die incluſiuè, & dies eſt, quæ futuram antecedit acceſſionem, eo quòd ex antecedenti acceſſione vires, quæ remanſerant, erūt imbecilles, tertia die vigorem ſuſcipiunt, & valentiores ſunt; & humor melancholicus, qui peccat in quartanarijs, tertia die incipit moueri, & aggregatus ad futuram acceſſionem paratur non ita ſecunda die.

Hæc aqua vt rectè exhibeatur quartanarijs non inſtituatur, niſi quadraginta; & quadraginta præteritis diebus, miſſo prius ad ſufficientiam ſanguine, & præparatis humoribus cogitandum de purgatione, ſicuti expeditiùs videbitur, & an iterū opus ſit, vt ſanguis mittatur ex venis ſedalibus, aut ex ſaluatella ſiniſtræ manus, & facta per medicamētū diſſolutione, ac iterū præparatis humoribus deueniēdum erit ad huius aquæ ſorbitiones, ita tamē Quæ obſeruanda ſunt.

vt eadem die, qua ſumpturus eſt æger hanc aquam duabus horis ante vncias duas aſſumat ſyrupi de polipodio, aut ad melancholiam cum decoctione foliorũ ſenæ florum cordialium, & drac. j. corticum radicis elebori nigri, & ſi re ſpuerit dentur diaſenę drac. vij. in forma boli, vel tantumdem de cõfectione hamech, deindè aquam bibere incipiat æger calidam, leuitèr deambulet de vna in aliam ſedem, ſedeat, & parum quiescat, & ita bibat quouſque ad libras duodecim perueniat; poſt aſſumptã aquã quieſcat, ſedeat, leuiter deambulet, & ita per tres horas, poſtea comedat, &c. deindè ſequenti die ſex horis ante futuram acceſſionem contuſum accipiat, & finita acceſſione ſaccarũ de radicibus ſcorſoneræ, de bugloſſa, de boragine, aut quid aliud ſimile, & maximè ſi quartana ſubſequens fuerit ex incinerata bili, cum pauca aqua, in qua cinnamomum, aut coriandi præparati, vel ſemina decocta fuerint alia ſimilia.

Deindè tertia dies expectetur, dies ſcilicet maioris quietis, & eſt dies ante futuram acceſſionem, vtatur vel eodem apozimate, vel bolo, vt ſupra; duabus ſcilicet horis ante potationes aquæ, & ita fiat tertia vice, & ad ſummum quarta vice; ſic enim craſſi expurgantur humores, & viſcidi abſterguntur, & ferinus humor obtũditur; & mitior euadit,

dit, lienis indè tumores tolluntur, vt pluries, & pluries periculum fecimus, lienis interim regio hoc inungatur vnguento. Recipe olei de abſinthio de capparibus amigd. amar. ana vnc. j. trociſc. de abſinthio, & de capparibus ana drac. j. pulueris radicum veratri nigri drac. j. & ſem. puluer. cetrach drac. j. aſſungiæ gallinæ drac. vj. cum cera fiat linimentum, ſed in quartanis cum putredinis focus difficillimè extinguatur, hac de cauſa per horam ante acceſſionem inſtituere ſolemus infraſcriptum electuarium cum vnc. ſem. aquarum ſtillatarum erucę, aut parum aquæ ardentis, aut vini albi tantumdem, & felici cum ſucceſſu putredinis focus erit extinctus, ſicut & febrium aliarum intermittentium, quæ cum rigore incipiunt, & detur medicamentum quadraginta ſaltem diebus elapſis, concocta tamen, & pluries expurgata materia, ſic etiam exhibetur theriaca, Metridatum, vel electuarium infraſcriptum. Recipe myrrhæ, gentianæ, ariſtologię rotundæ, rutę, ſeminum citri, ſcordij, & boli armeni orientalis ana drac. j. puluerizentur ſubtiliter, & cum ſyr. dę Scordio Mercurialis, vel ſimili pro vt expediens erit, fiet elect.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VIT. EMANUELE ROMA

Rev. P. *Magiſter Aloyſius Graffeo Ord. Min. Conu.*
Et Doctor D. Franciſcus Valcarcer Reuideat.

Abbas D. Iacobus Sieri Pepuli Dep. & Reuiſor pro
Reuerendiſſimo Dom. Vic. Gen. Cap. Diœceſis Mazzarienſis.

Reuerendiſſime Domine.

L*Ibrum, cuius inſcriptio eſt,* De SS. Coſmæ, & Damiani Thermalibus Aquis, *in ſex diuiſum Sectiones, &c. Auctore D. Antonio Griſpo Philoſophiæ, Medicinæ, & S. Theol. Doctore, peculiari iuſſione Dom. Tuæ Reuer. accuratè perlegi, & meditè approbo, quia nihil deuium ab Orthodoxa Fide reperi, ſed dignum maxima laude cenſeo, vtpotè toti Reipublicæ Litteratorum, & Medicorum vtiliſſimum, ideò vt æternis typis mandetur, digniſſimum iudico. E Conuentu* S. *Franciſci Ciuitatis Drepani, ſub die* 25. *Nouemb.* 1683.

I. *Fr. Alloyſius Graffeo.*

Cum

CVm obtemperandum mandatis Reuer. Abbatię D. Iacobi Sieri Pepuli, cum maxima voluptate pertegi librum inſcriptum: De SS. Coſmæ, & Damiani Aquarum Thermalium facultatib. & vſu; ab eruditiſſimo, & experientiſſimo, in almo Drepanēſi Medicorum Collegio, Seniori Viro D. Antonio Criſpo affabrè concinnatum. Admirandæ ſanè ſunt pro debellandis nonnullis morbis prædictarum aquarum thermalium vires, quarum encomia tota Trinacria centeno famæ ore decantat. Plures ſunt in Apollinea Arte præſtantiſſimi Viri variarum nationum, qui de omnibus ferè Aquis Thermalibus in vniuerſo terrarum Orbe ſcaturientibus innumeroſa volumina ediderunt, atque exoticis libris bibliothecas decorarunt. Sed qui de his noſtratibus aquis tàm vtilibus ſcripſerit neminem noui. Nouum eſt Aureum hoc IatroLogicum Opus, vt erudita alia eiuſdem Auctoris opera à Typographis quidē abſoluta, ſummis laudū præconijs celebrandum, in quo Drepanitanus hic Hyppocrates, ſpreto verborum lenocinio, Medicorum Principum auctoritatibus, ac ſolidiſſimis rationibus vbertim orthodoxias medicas probat, cōprobatque autopſia; Quapropter cultioris literaturæ ſtudioſis nimis iucūdum, Medicinæ candidatis valdè vtile Reipublicæ ſaluberrimum; Typographico prælo denique digniſſimum

cen-

cenſeo, ſi ita videbitur Reuerend. Abbati D. Iacobo Sieri Pepuli Dèpan. & Reuiſ.

Medicinæ Doctor D. Franciſcus Valcarcer.

Stante ſupradictis approbationibus

Imprimatur — Imprimatur

Abb. Sieri Pepuli D. & R. — Galuanus F.

FINIS.

Digitized by Google

240

Digitized by Google

Digitized by Google

REST. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni Di Giacomo
Tel. 71550 - PESCARA
1475

Digitized by Google